






EX
LIBRIS
REINHOLDI
DEZEIMERIS
ΟΥ̓
ΚΤΉΣΕΩΣ
ἈΛΛᾺ
ΧΡΉΣΕΩΣ
ΧΆΡΙΝ

Belle reliure
Anglaise du
XVIIIème siècle
Impression Allemande
de plante de 1525

c. 1480

Alas. P 1523

PLAVTI QVEROLVS, siue AVLVLARIA;

Ad CAMERARII *codicem veterem denuo collata.*

EADEM A VITALE BLESENSI ELEGIACO carmine reddita, & nunc primum publicata.

Additæ P. DANIELIS, C. RITTERSHVSII, I. GRVTERI NOTAE.



Ex typographeio H. Commelini, cIↃ IↃ XCV.

1595

IANO GRVTERO IC.

CONRADVS RITTERSHVSIVS BRVNSWIC. S. D.

QVanto est difficilius ac rarius in vita hominum, tanto pulcrius ac præclarius est illud, quod & sepulcris coniugum, qui in bene concordantibus matrimoniis vixerant & obierant, pro elogio inscribi solebat apud Romanos veteres, & a doctissimo grauissimoque superioris ætatis Philosopho Ioanne Ludouico Viue symboli loco vsurpatum fuit: SINE QVERELA. *Quotusquisque est enim mortalium, qui sorte sua ita sit contentus, vt sui ipsum non pœniteat, nec de se, aliis inuidendo, conqueratur? Est autem hoc admiratione dignum, quod, cũ in virtutis & officii rationibus ita fere fieri soleat, vt se quisque cum nequioribus & deterioribus potius quã cum melioribus comparans, satis sibi ipsius placeat (quem Plautus* nec probũ esse nec frugi bonæ *ait) perfectionemque probitatis iam consecutus esse videatur (quæ fallacissima est tamen probitatis & perfectionis regula ac norma, cum oporteat nos* συμμετρεῖσθαι τὰ ἡμέτερα τῇ ἐντολῇ, καὶ οὐχὶ τοῖς τῶν ἑτέρων σταθμοῖς, *vt grauiss. præcipit Nazianzenus) hæc ergo cum ita sint, hic tamen, cum de fortuna hominis quæstio est, cõtra fiat nescio quo modo, vt vnusquisque semper ad eos quibus res magis sunt secundæ & florentes quam sib. bliquis oculis respiciat, suarũ rerum pertæsus. Oportebat autem nos, id quod seruulus in Comœdia (opinor Menandri) herum suum monet vt faciat, si quid nobis accidat aduersi, non statim in-*

dulgere planctui & eiulatibus, ac muliebrem in modum omnes doloris habenas effundere; sed ad eos, qui grauioribus quam nos, exercentur ærumnis, respicientes, æquo animo ferre nostras: Quod præceptum Plutarchus quoq; ἐν τῷ περὶ εὐθυμίας inculcat. Scitum etiam est illud veteris cuiusdam Sapientis, qui dicebat: Si omnes homines omnia sua mala & infortunia & calamitates in vnum contulissent acervum, ea lege atq; condicione, vt æquis portionibus eius acerui inter ipsos fieret diuisio, neminem non recusaturum, & cupide vnumquemq; suam potius, quam habuerat, partem recepturum, ne ex tanto cumulo maior sibi forte obueniret. Quod ergo tum facturi essemus, vt sortē nostram ambabus, quod dicitur, vlnis amplecteremur: id cur non vltro ac libenter facimus? Cur autem semper Queruli inutilibus curis ac molestiis nos maceramus, & ipsimet cor nostrum edimus? Quid est, quod ex vnaquaq; re id quod in ea pessimum inest, excerpimus, ex eoq; vniuersum genus æstimamus; id autem quod in ea boni est, non attendimus, eoq; velut pensamus incommoda? Μεμψιμοιρίαν Græci vocant: quod vitium etiam in Sacris litteris nostris grauiter accusatur, & contraria ipsi αὐτάρκεια, qua vna proxime ad Deum accedimus, commendatur: vt taceam, quod apud Poetas, præsertim Satyricos, passim idem vitium, & insigniter ab Horatio exagitatur.

Hæc mihi in mentem venerunt, clariss. Grutere, vir amicissime, quæ ad te præfarer, cum Comœdia eiusdem argumenti a typographo typis iterum describenda esset, eamq; in tuo nomine apparere cuperem.

QVEROLVS *est, Comœdia nunquam in Germania (quod sciam) edita; non plane indigna tamen mihi,*

& vt

& vt ex litteris tuis intellexi, etiam tibi visa, quæ in theatrum aliquando reproduceretur; cum quidē tot vbiq; nugæ, vel Siculis illis nugaciores, volitent, & religionem ac mores, quorum tamen pollicentur emendationem, pessimis modis deprauent. Hic autem nihil est quod bonos mores possit lædere; imo etiam est quod possit adiuuare, & meliores facere: qui est Comœdiæ præcipuus finis. De tempore, quo hæc fabula scripta esse videatur, non dubito quin vna mecum eas in sententiam P. Danielis IC. & Philologi: qui eam ante annos quasi triginta Parisiis apud Robertum Stephanum edidit, Notisq; emendauit & illustrauit eruditis. Eius dissertationem hac de re QVEROLO *præfigendam curauimus. Sed audi occasionem, quæ mihi primo data fuerit, vt de huius scripti editione aliquando renouanda cogitare inciperem. Cum in feriis nostris æstiuis anno ab hinc tertio contigisset mihi hanc Comœdiam videre manuscriptam in pulcerrimo illo & antiquissimo codice membranaceo Cl. V. D. Ioachimi Camerarii, in quo & Plautinæ Comœdiæ manu descriptæ sunt non paucis locis emendatiores & auctiores, quam sint editiones vulgo vulgatæ: vt ipse quoque conferendo experieris, quando tibi eius copiam factam esse audio: tum igitur horas aliquot subsecinas ei perlegendæ & cum Parisiensi editione conferendæ impendi. In ea collatione & plerasq; P. Danielis emendationes confirmatas, & alias insuper nouas deprehendi: quas omnes ad oram paginarum apposui. Drama ipsum tibi non commendabo: nec enim opus est: ac ne lectoribus quidem, quibus sese & antiquitatis auctoritate, & argumenti varietate mirifica, & sententiarum grauitate, & dictionis Comicæ elegantia satis commenda-*

bit. Quamquam illud non existimem dissimulandum, vestigia quidem hic apparere passim imitationis Plautinæ & Terentianæ, aliorumque idoneorum auctorum: Sed tamen nonnulla occurrere, quæ sæculum illud quo scripta est hæc fabula, Theodosianum scilicet, redoleant: quod iam non leuiter a natiua Romanæ linguæ proprietate & facilitate desciuerat.

Quod reliquum est, rogo te, mi Grutere, vt hanc compellationem meam gratam acceptamque habeas, & pro pignore ac testimonio amicitiæ nostræ, quam ego sancte semper colam, esse patiaris. Agnosco equidem, postulare eam aliquid maius ac melius: hæc autem per quam sunt tenuia. Sed ea est humanitas in te, vt etiam parua pro magnis ducas, quæ ab amico animo sunt profecta: quale hoc munusculum esse, certo tibi persuadebis.

Simul autem hac ipsa ratione excitare te currentem volui, ad absoluendos edendosque eos libros, quos affectos iam pridem habes, quibus plurimum lucis bonis auctoribus afferetur. Quo nomine multum tibi deberi fatebuntur omnes boni, summisque te efferent laudibus, qui quæstuosam artem, in qua pro tua ingenii vbertate felicissima excellere poteras, istis humanioribus litteris postposueris. Sæpe ego amicis meis, qui iuri ciuili dant operam, dicere soleo, Nunquam mihi videri futuram inopiam causidicorum & pragmaticorum, qui sint legum contortores, bonorum extortores: Sed vereri me interdum, ne non maximam habeamus copiam eorum, qui germanam Iuris scientiam cum elegantiori litteratura coniunxerint: dum considero, quantopere omnes festinent πρὸς τὰ ἄλφιτα, & cruda adhuc studia in forum propellant, vt cum Petronio loquar. Quo magis amo & laudo dignio-

digniores censeo eos, qui hanc suauissimam coniunctionem faciunt, nec Gratias cum Musis desinunt copulare: Inter quos te quoq; libenter numero. Etiam tu me in tuis amicis numerare perge, & vale. Altorphii in Academia Norimbergensi, die 26. Oct. Anno 1593.

EPIGRAMMA IN QVEROLVM COMOEDIAM A CONRADO RITTERSHVSIO denuo editam.

QVis querulus non est hodie? Ecquis dramatis huius
Vsus erit, specimen cuius vbiq; vides,
Sint homines modo? Nam quis non sua fata suamve
Fortunam, inq; aliis, quotq; videt, queritur?
Sacra, profana vide, cum priuis publica: quisq;
Carpit, fert, laudat, plurima, pauca, nihil,
Quandocunq; alio spectat: Sese & sua contra
Sint quæcunq; licet, ceu tetragona probat.
Atticaq; vt quondam idolis insana colendis
Gens, sacra se solam vera sequi asseruit:
Sic hodie quotaquæq; hominum pars, plurima aberrans
A vero, erroris vult minime esse rea:
Interea insanit solemnia, condemnando
Quos præ ipsis iustos norma probata ferat.
Qui Querolum hunc legis, hæc quoq; (si placet) aspice: & istius
Moris & in te ipso despue, & in reliquis.

M. MATTHIAS BERGIVS
mense Iunio exeunte, Anno
1592. paucis ante obitū diebus dictabat.



ILLVSTRISSIMO AMPLISSIMOQVE CARDINALI ODONI COLIGNIO CASTILIONAEO

Petrus Daniel S.

HOc semper maxime in votis habui, Cardinalis Illustrissime & Ampliss. opportunum aliquod tempus mihi dari, quo defuncti patris tibi addictissimi vestigiis insistens, meam erga te obseruantiam aliquo officii genere testarer. Id vero nunc mihi oblatum esse arbitror, si ea quæ apud me benigne deposuisti, non maligne suppressa in sinu tegam, sed summa fide ad te referam, atq; adeo bona tua venia in publicum proferam. Absit autem vt in id ingrati animi vitium cadam, quo tenentur, qui præclara librorum veterum monumenta beneficio tuo nacti, posito omni pudore illiberaliter alio transferunt. Mihi certe consilium semper firmum ac stabile fuit, neminem præter te agnoscere auctorem & fautorem eorum, quæ apud te nata essent. Cuius generis cum sit hæc antiqui auctoris fabula, non minus insignis vetustate quam admirabilis argumenti raritate, in tuo nomine editam ad te remitto, accedentibus quidem vsuris: (nam a nobis emendata est & breuibus Notis illustrata) sed quia nec perpetuis in nos meritis tuis, neque tanti thesauri dignitati respondent, hoc quicquid est, tantisper dum maiora conamur, qua soles animi æquitate, non tam ex merito quam ex officio ac potius pietate æstimabis. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Nonis Iulii, Anno 1564.

DE AVCTORE, DISSERTATIO P. DANIELIS.

DE auctore huius Comœdiæ, cur ea Plauti nomen præferat, quo tempore conscripta sit, paucis disquirendum est. Accium quidem Plautum non esse, fa-

cile

cile stylus arguit, & aperte profitetur auctor ipse in Prologo, vbi hanc Comœdiam per vestigia Plauti inuestigatam esse ait. Verum fieri potest, vt auctori nomen Plauto vel Plautio fuerit, nec adulterina sit inscriptio: quomodo antea plerosque fefellit sæpe communis error ex nominum similitudine atque affinitate natus. Magis tamen puto, Accii Plauti veteris Comici nomen esse, atque ab imperitis librariis adiectum, aut ab ipso auctore adoptatum propter argumenti studiique Comici similitudinem, vel per parodiam. Sic enim incerti cuiusdam auctoris Solinum imitantis opus nondum euulgatum penes me habeo, cui pro Indice Solini Polyhistoris nomen præscriptum est. Nemo vero ignorat, quod A. Gellius & Macrobius admonent, Plauti Comici fabulas incertas & ambiguas semper fuisse. Vnde facile est suspicari, hanc ipsam ei potius quam alii cuiquam adscriptam esse, cum præsertim dubitatio audendi facultatem, atque etiam auctori reticendi sui nominis occasionem daret. Vero enim simile est, quisquis tandem auctor ille fuerit, quoniam totam pene fabulam versu Satyrico descripserat, ne inuidiam sibi pareret, nomen suum alieno supposito non adscripsisse. De tempore nihil adeo certi adferri potest. Quod si coniecturis locus est, Theodosii temporibus aut proximis scriptam, duabus de causis arbitror: Primum, quod stylum Theodosiani sæculi maxime redolet: deinde quod ad RVTILIVM inscripta est, si modo is sit Rutilius, quem sæculo Theodosii fuisse constat, vt de illo optime conicere mihi videor. Sed vt hæ sunt coniecturæ duntaxat, quæ temporis suffragio fortasse confirmari poterunt, sic in iis probandis minus laborandum esse duxi. Non erit autem superuacuum ea hic adiicere, quibus & antiquam fabulam, & apud antiquos commendabilem fuisse ostendemus. Profert enim huius locum Iohan. Sarisburiensis Anglus lib. 2. Polycratici, siue De nugis Curialium & vestigiis Philosophorum c.25. auctor mea sententia non aspernandus, qui ante annos prope quingentos fuit. Præterea eiusdem fit mentio in vetustissimo libro Glossarum, quem mihi vna cum hac Comœdia suppeditauit amplissima fani Benedicti Floriacensis ad Ligerem bibliotheca,

quod olim celeberrimum & primum totius Galliæ collegium fuit. Denique non ita pridem incidi in quoddam vetustum fragmentũ ex Compendiensium Franciscanorum cœnobio, atque etiam nuperrime in antiquissimum codicem manu exaratum S. Victoris Parisiensis, in quibus plurimas sententias huius fabulæ excerptas & in vnum collectas repperi, atque hæc omnia sub Plauti nomine in Aulularia. Potuissem & multa eiusmodi fragmenta huius fabulæ præcipue ex codicibus ms. petere, si mihi diligentius inuestigandi liberum fuisset otium. Ceterum hæc studiosis, quibus otii plus est, vt in eo se exerceant, disquirenda relinquimus. Iis autem viam sternimus, animos augemus, adq; id sedulo peragendum etiam atque etiam rogamus.

GEORGIVS BVCHANANVS
SCOTVS

Ad P. Danielem Aurelium, De auctore huius Comœdiæ.

QVisquis es, infernis prope nunc reuocatus ab vmbris
Ausoniis hilaras pulpita qui salibus:
Bis refer acceptum Danieli luminis vsum,
Bis tibi qui medicæ præstitit artis opem:
Dum tenebris reuocat, dum barbara vulnera sanat,
Fila nouans famæ pene resecta tuæ.
Atq; vtinam, Daniel, meriti non immemor huius
Posteritas paribus te colat officiis:
Vtq; facis veterum vatum monumenta renasci,
Interitum scriptis arceat illa tuis.

NICOLAI HATTÆI AVRELII,
REGIS ET AVRELIORVM
Ducis Secretarii,

Carmen ad P. Danielem ciuem suum.

QVam misere nostras, Daniel, ignauia mentes
Fascinat, & lento potitur funesta veterno!
Labimur, & vita breuis est via: Scimus, & arctas
Interea pauci cura meliore paramus
Inter viuendum viuendi extendere metas:

Rumpor,

Rumpor, & assiduè tot frustra indignor inanes
Ire dies: Quantumq; breuis mortalibus æui
Concessum, sic prorsus iners & inutile duci,
Præcipue vacuos fallentis vt otia vitæ
Delectent animos, nec publica commoda quisquam
Curet, & humanas communiter adiuuet artes.
Solers quisq; sibi nihil amplius optat ad imum,
Quem beet aggesti numerosa scientia nummi,
Et bona summa putat secura viuere quadra.
Inde mali labes, & amor confusus honesti,
Hinc morbi caput & morum præposterus ordo,
Tantaq; (pro) rerum passim iactura bonarum,
Vngue venenato rudis hæc socordia quantas
Deterit, & praue melioribus inuidet annis.
Vsq; adeo stat honos virtusq; operosa laborum
Omnis in opprobrio: Epicuro rite magistro
Viuitur, & pulcre morituri fallimus. Eho!
Nullane relligio est, sic se subducere, tanti
Nil vt ducatur, propter quod rumpere somnum
Incurata velit stultorum insania vecors?
Strenua nos adeone exercet inertia? Quorsum
Viuere, si frustra victuri nascimur, & nos
Nec ratio, aut potior naturæ regula brutis
Seiungat? Quanto certe præstantius illud
Mutua per vitæ socialis munia ferri
Intentis animis, patriæq; impendere curas,
Deberi cui nos & nostra agnoscimus? Atqui
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quibus æquior est mens,
Hoc studium properant, quorum tu scilicet olim
Sedulus in numerum voto ruis: Et tibi nullus
Difficiles labor ire vias, dum deniq; prosis
Officioq; iuues patriæ communis honorem.
I bone, quo virtus tua te vocat, & neq; fausto
Desere tentatos cursus pede, libera figens
Fortiter in medium vestigia: Præmia, quæ te
Certa manent, non parua manent. En aspice, quanta
Iam non vana tibi surgant exordia famæ,
Dum tam sollicite, nulli tot culta per annos

Palladii deserta nouas vberrima luci,
Et veterum assertor studio vehemente laborum
Obscurata diu nobis monumenta resignas:
Pro quibus & nostri ventura ætate nepotes
Æterna te laude ferent, & longa fruendi
Tempora thesauri, qui te nouus auspice primum
In manibus nunc est plenos effossus in vsus,
Nequicquam ingrata memores mercede rependent.
Nec dubita: tibi perpetuum staturus in æuum
Diues honorata thesaurus munere fama,
Quem tua Cimmeriis exemit dextra lacunis,
Seruatur, miseraq; manet rubiginis expers,
Hac vna, lethi simul ac exegeris horam,
Æterna tecum pariter condendus in orna:
Qua tua fronte gerens fidis inscripta tabellis
Nomina, pro tumulo, titulis insignis honorum
Vt meritus, sic ætherio te lumine cassum
Excipiat: sic grata vices tibi præbeat æquas:
Vtq; tua, quicumq; nitor splendescit in illa,
Hoc opus est, hoc artis opus, tibi ceditur vni:
Sic modo te foueat, sic vindicet ossa sepulcro:
Sic dominum agnoscat, sic te donata redonet,
Restituat tibi te, vitaq; in iura reponat,
Acceptamq; tibi referat per sæcula lucem.

PRÆFA-



In editione P. Danielis sequentes versus inter testimonia amicorum inveniuntur.

Ad eumdem Steph. Manialdus Cleriacus.

Εὐεπίης κνείων λάμπει, πρότερόν τε μαρανθεὶς
Νῦν θάλλει Πλαῦτος τῶν Χαρίτων τρόφιμος.
Ἦμαρ ὁρᾷ διὰ σοῦ Δανιήλ, ὃς νύκτα διώκεις,
Ὡς δ᾽ ἄλλος γενετὴρ ἐς φανερὸν προφέρεις
Εὐθύμει, καμάτων μισθὸν, κλέος ἄφθιτον οἴσεις,
Ἶσον τοῦ Πλαύτου ἀενάοις Χάρισιν.

In ed. P. Danielis praefixus est titulus:

QVEROLVS, SEV
AVLVLARIA PLAVTI
ANTIQVI AVCTORIS.

Praefatio ad Rutilium.



PRÆFATIO AD RVTILIVM.

RVTILI, venerande semper magnis laudibus, qui das honoratam quietem quam dicamus ludicris, inter proximos & propinquos honore dignum putas, duplici fateor, & ingenti me donas bono, hoc testimonio, hoc collegio: hęc vera est dignitas. Quænam ergo his pro meritis digna referam præmia? Pecunia, illa rerum ac sollicitudinum caussa & caput, neque mecum abundans, neque apud te preciosa est. Paruas mihi litterulas non paruus indulsit labor. Hinc honos atq; merces: hoc manebat præmium. Atque vt operi nostro aliquid adderetur gratiæ, sermone illo philosophico ex tuo materiam sumpsimus. Meministine ridere tete solitum illos, qui fata deplorant sua, atq; Academico more, quod libitum foret, destruere, & adserere te solitum? Sed quantum hoc est? Hinc ergo quid in vero sit, qui solus nouit, nouerit: nos fabellis atque mensis hunc librum scripsimus. Materia hæc est: Pater Queroli nostri fuit auarus Euclio: Hic Euclio aurum in ornam congessit olim, quasi busta patris, odoribus insuper infusis, tituloque extra addito. Nauem ascendens ornam domi fodit: rem nulli aperuit. Hic peregre moriēs, parasitum ibidem co-

gnitum filio coheredem instituit tacita scripturæ fide, si eidem thesaurum occultum sine fraude ostenderet: locum tantummodo thesauri senex ostendit. Oblitus doli Parasitus nauem ascēdit, ad Querolum venit, & rupit fidem: Magum mathematicumq; sese fingens, & quicquid mentiri fur potest. Ea quæ a Patrono didicerat Queroli secreta & familiaria, quasi diuinus loquitur. Querolus fidem accōmodat, auxiliumq; poscit. Parasitus magus domum purificat & puram facit. Sed vbi primum libere ornam inspexit, vetere dolo decipitur. Bustum quod simulabatur credidit, atq; irrisum se putat. Inde vt aliquatenus se vlcisceretur, ornam Queroli in domum callide & occulte obrepens per fenestram protulit: qua explosa & comminuta, bustum in pretium vertitur. Itaque thesaurum contra rationem & fidem cum lateret, perdidit; cum perisset, reddidit. Postea re comperta Parasitus reuolat, & partem petit. Sed quia quicquid abstulerit confitetur, quicquid rettulerit, non docet: primum furti, post etiam sepulcri violati est reus. Exitus hic est: Ille Dominus, ille Parasitus, denuo fato atq; merito conlocantur sic ambo ad sua. Tuo igitur inlustris libellus iste dedicatur nomini. VIVAS INCOLVMIS ATQVE FELIX VOTIS NOSTRIS ET TVIS.

PER-

PERSONÆ.

LAR *familiaris.*

QVEROLVS *filius Euclionis.*

SYCOPHANTA.

MANDROGERVS, *magus & paraſitus.*

SARDANAPALLVS.

Socii atq; adiutores Mandrogerontis.

PANTOMALVS, *ſeruus.*

ARBITER.

PROLOGVS.

PACEM quietemque vobis, ſpectatores, noſtros ſermo poeticus regat, qui Græcorum diſciplinas ore narrat barbaro, & Latinorum vetuſta veſtro recolit tempore. Præterea precatur & ſperat non inhumana voce, vt qui vobis laborem indulſit, veſtram referat gratiam. AVLVLARIAM hodie ſumus acturi, non veterem ac rudem inueſtigatam Plauti per veſtigia. Fabella hæc eſt. Felicem hic inducimus fato ſeruatum ſuo: atque contrario fraudulẽtum, fraude deceptum ſua. Querolus, qui iam nunc veniet, totam tenebit fabulam. Ipſe eſt ingratus ille, noſter: hic felix erit. E contrario Mandrogerus aderit fraudulentus & miſer. Lar familiaris, qui primus veniet, ipſe exponet omnia. Materia voſmet reficiet, ſi fatigat lectio. In ludis autem atque dictis antiquam nobis veniam expoſcimus. Nemo ſibimet arbitretur dici, quod nos populo dicimus. Neque propriam ſibimet cauſſam conſtituat communi ex ioco. Nemo aliquid recognoſcat: nos mentimur omnia. Querolus an Aulularia hæc dicatur fabula, ve-

ſtrum hinc iudicium, veſtra erit ſententia. Prodire autem in agendum non auderemus cum clodo pede, niſi magnos præclaroſq; in hac parte ſequeremur duces.

LAR FAMILIARIS.

Ego ſum cuſtos & cultor domus, cui fuero adſcriptus Ædes nunc iſtas rego, e quibus modo ſum egreſſus. Decreta fatorum ego tempero: ſi quid boni eſt, vltra accerſo: ſi quid grauius, mitigo. Queroli nunc ſortem adminiſtro, huius non grati, non mali. Hic exinde ſibimet ſufficiens fuit: (quod primum eſt bonum) Nunc autem etiam locupletiſſimus erit. Sic meritum eſt ipſius. Nam quod pro meritis reddendum nobis non putatis, ipſi voſmet fallitis. Ordinem autem, ſeriemque cauſæ breuiter iam nunc eloquar. Pater huius Queroli Euclio fuit, auarus & cautus ſenex. Hic enorme pondus auri olim in ornam condidit. Sic quaſi paterna venerans, aurum celabat palam. Peregre vadens ornam domi ſepeliit, ac reliquit ante aras meas. Tumulum ſuis, mihi theſaurum commendauit. Abiit, neq; rediit ſenex. Peregre moriens vni tantummodo rem indicauit, fraudulento & perfido. Cui tamen, ſiue oblitus, ſiue ſuperuacuum putans, de buſto & titulo nihil exponit. Querolo iuxta fatum hoc ſufficit. Nunc ergo theſaurus habetur omnibus ignotus, & notus tamen. Erat ſane facile nobis, aurum domino oſtendere, aut reſponſo, aut ſomnio: Sed vt agnoſcant homines. Nemini auferri poſſe quod dederit Deus, aurum, quod fidei

malæ

malæ creditum eſt, furto conſeruabitur. Fur ergo iam nunc aderit, per quem nobis ſalua res erit. Iſte ornam cum reppererit, buſtum putabit: Sic ille proſpexit ſenex. Prædam qui abſtulerit, reportabit, totumque reddet, partem contentus fuit. Itaque bene perfidus alteri fraudem infert, damnum ſibi. Tamẽ ne fruſtra memet videritis, exponere quædam volo. Querolus iſte noſter, ſicut noſtis, omnibus eſt moleſtus, ipſi, ſi fas eſt, Deo: homo ridicule iracundus, itaque ridendus magis. Diſſerere cum iſthoc volupe eſt, & confutare vanam hominum ſcientiam. Fatum itaq; iam nunc & hominem e diuerſo audietis: vos iudicium ſumite. Genium autem ipſius eſſe me, quantum fieri potuerit, cautiſſime confitebor, ne quod mihi faciat malum. Nam maledicere mihimet nunquam ceſſat ille noctes & dies. Sed eccum ipſum audio: fatum & fortunam clamitat. Iſte ad me venit: patrem peregre mortuum audiuit. Hui, quam grauiter dolet, vt ſunt humana: credo. quia nihil relictum comperit. Et quid ego nunc facio? auolare hinc ſubito nõ poſſum: nimium memet credidi. opportune armigerum hinc tridentem video, præſidium hercle non malum. Querolus ſi moleſtus eſſe hodie non deſtiterit, faciam vt queratur iuſtius. Vnde eſſe hoc dicam? Piſcatores mane hac præteriſſe vidi: ipſis forte hoc excidit.

QVEROLVS, LAR *familiaris*.

QVER. O fortuna! o fors fortuna! o fatum ſceleratum atque impium! Si quis nunc mihi tete

ostenderet, ego nunc tibi facerem & constituerem fatum inexsuperabile. LAR. Sperandum est hodie de tridente. Sed quid cesso interpellare atque alloqui? Salue Querole. QVER. Ecce iterum rem molestam, Salue Querole. Istud CVI BONO hac atque illac haue, dicere, etiamsi prodesset, ingratum foret. LAR. Misanthropus hercle hic verus est: Vnum conspicit, turbas putat. QVER. Quæso amice, quid tibi rei mecum est? debitumne poscis, an furē tenes? LAR. Iracundus nimium es, Querole. QVER. Hea, ego officiū sum aspernatus, adicit & conuicium. LAR. Mane paulisper. QVER. Non vacat. LAR. Sic necesse est, mane. QVER. Iam istud ad vim pertinet. Age, dic quid vis. LAR. Scin' tu quam ob causam tridentem istū gestito? QVER. Nescio edepol, nisi quod primum propter importunos inuentum esse hoc reor. LAR. Idcirco hunc gestito, vt si me attigeris, talos transfodiam tibi. QVER. Dixin' hoc fore? nec salutatio hic impune datur. Non mala hercle est conditio: neque te contingo, neque me tu contigeris. Vale. Ite & conserite amicitias. Ecce adfabilitas prima quid dedit. LAR. Mane, ego sum quem requiris, quemque accusas, homuncio. QVER. Oe, talos ego incolumes ferre hinc volo. LAR. Non tu paulo ante fatum accusabas tuum? QVER. Accuso & persequor. LAR. Ades ergo huc, ego sum. QVER. Tu fatum es meum? LAR. Ego sum Lar familiaris, fatum quod vos dicitis. QVER. Te ego iamdudum quæro, nusquam

quam hodie pedem. LAR. Prœmonueram de tridēte, caue, abstine. QVER. Immo tu caue. LAR. Ego iam prospexi. QVER. Quidnam hoc est prœstigium? LAR. Apagesis homo ineptissime, hic nullum est præstigium. Desiste, nisi excipere manuis trina pariter vulnera. QVER. Attat, vero similem esse hunc nescio, quem de aliquibus vel geniis vel mysteriis: iste seminudus dealbatusq; incedit, toto splēdet corpore. Euge Lar familiaris, processisti hodie pulcre. Sed nō totum intellego. Quod seminudus es, recognosco: vnde dealbatus, nescio. Egomet iamdudum apud carbonarias agere te putabā: tu de pistrinis venis. LAR. Hei, etiam istud de meo, quod in malis tuis commode iocaris. Audi nunc iam. Permouet nosmet Querole, tua quamuis inanis querimonia. Idcirco itaq; veni, vt ratio tibi ex integro redderetur, quod nemini antehac contigit. QVER. Tibine rationē rerum humanarū licitum est nosse atq; exponere? LAR. Et noui & doceo. Proinde quicquid exinde quereris, hodie totum expromito. QVER. Dies deficiet ante. LAR. Breuiter percurre pauca, de quibus nunc tibi exponantur omnia. QVER. Vnum solum est, vnde responderi mihi volo, Quare iniustis bene est, & iustis male? LAR. Primum, vt apud vosmet fieri video, de persona est quæstio, Cuinam tu verba promis? Tibine, an populo? QVER. Et populo & mihi. LAR. Cum tu tibi ipse sis reus, quemadmodum satis aliisque multis defensorem te paras? QVER. Ego noui reum me non

eſſe. LAR. Ergo poſthac aſſertio conticeſcet, ſi perſona exploditur. Inter bonos, an inter malos tete numeras? QVER. Etiam quæritas, quid mihimetipſi videar, cum de ſceleſtis conquerar? LAR. Si probo, de illis tete eſſe quos accuſas, hoc eſt, de malis, pro quibus poſthac loquêre? QVER. Si criminoſum me eſſe conuiceris, neceſſe eſt meritis vt meis ſenſum accommodem. LAR. Celeriter nunc mihi reſponde, Querole, quanta iam putas feciſſe te capitalia? QVER. Equidem nullum, quod ſciam. LAR. Nullumne? Ergo excidêre omnia. QVER. Immo omnia pene retineo, ſed ſcelus nullum ſcio. LAR. Heo, Querole, furtum nullum admiſiſti? QVER. Nuſquam, ex quo deſtiti. LAR. Ha ha he, hoc eſt nunquam admiſiſſe? QVER. Quod verum eſt non nego. Adoleſcens quædam feci, fateor, laudari quæ ſolent. LAR. Cur igitur deſtitiſti de ſcelere tam laudabili? Trãſeamus iſtud. Quid de falſo dicimus? QVER. Hem, quis autem verum dicit? Iſtud commune eſt, abi. LAR. Idcirco crimen non eſt? Quid de adulterio? QVE. Attat, etiam hoc crimen non eſt. LAR. Quando autem licitum eſſe cœpit? QVER. Men' rogas? quaſi tu neſcias. Hoc eſt quod nec permitti, nec prohiberi poteſt. LAR. Quid ad hæc, Querole? videſne te contra licitum viuere? QVER. Si tu me ad hæc reuocas, nemo eſt innocens. LAR. Et tamen non de omnibus tete interrogaui, ſi reminiſceris. QVER. Nihil eſt amplius. LAR. Nulli igitur mortem optaſti? QVER. Nemini.

mini.

mini. LAR. Quid ſi conuinco? QVER. Nihil eſt quod reſpondeam. LAR. Dic mihi, ſi ſoceros nunquam habuiſti? QVER. Ecce iterum generale. LAR. Ergo omnia de omnibus confiteris. QVER. Quando ſic interrogas. LAR. Quando hæc tibi leuia videntur, neſcio quid ſit quod crimen putes. Dic mihi pręterea quotiens peieraueris: Expone celeriter. QVER. Bona hora hoc exaudiat, Iſtud a me ſemper alienum fuit. LAR. Quanto amplius quam millies peieraueris, hoc requiro: ſaltem hoc dicito. QVER. Oe, Illa tu nũc requiris cotidiana & iocularia. LAR. Non facile intellego, periurium ioculare quid putas. Tamen tranſeamus, quod, vt video, conſuetudo iam fecit leue. Quid igitur, ſciens prudenſq; ſacramentorum nunquam rupiſti fidem? Vt alia taceam, nunquam iuraſti amare te, quem iuratus oderas? QVER. Heu me miſerum! Quid ego hodie mali cum iſtoc repperi? Iuraui ſæpe, fateor, quod cum ſtaret verbis, non ſtaret fide. LAR. Vrbane igitur peieraſti: fieri hoc ſolet. Quanto mallem vt ſermo laberetur, & ſtaret fides! Tune Querole, verbis te abſolutum eſſe credis? Peierat ſæpe qui tacet. Tantum eſt enim tacere verum, quantum & falſum dicere. QVER. Omnia igitur peregiſti, totum commerui. Vale. LAR. Immo nihil eſt actum, Querole, niſi ſequantur hæc duo: Primum contra meritum tuum miſerum te non eſſe vt comprobem: Secundo, etiam felicem tete eſſe iam nunc ipſe intellegas. QVER. Ergone egomet erumnoſus

non sum? LAR. Et fateor, sed vitio tuo. Atq; vt in omnibus reuincare, expone breuiter, de quibus quereris maxime. QVER. Primum tibi, geniorum optime, conqueror de amicis. LAR. Spes bona: quid de inimicis iste faciet? In quo tamen amicitiarum te læsit fides? QVER. Nemo mihi magis molestus, quam familiaris: neq; magis morigerus, quam leuiter cognitus. LAR. Quidnam hoc mirũ, si te qui nouit, despicit: qui non nouit, diligit? QVER. Agimus tibi gratias, Lar familiaris, tu nos ornas in omnibus. LAR. Iam intellego quid querere. Visne breuibus remedium hinc dari? QVER. Valde cupio. LAR. In amicitiam & fidem stultum ne receperis. nam insipientum atq; improborum facilius sustinetur odium, quam collegium. QVER. Quid si sapiens non erit? LAR. Stultos ingenio rege. QVE. Quomodo? LAR. Vis te nõ decipi? QVER. Cupio. LAR. Credideris nemini: In tua est potestate ne decipiaris. Cur accusas perfidos? Visn' tibi honorem deferri? QVER. Maxime. LAR. Inter miseros viuito. QVER. Prope vera loqueris. LAR. Visne te nõ decipi, maxime a tuis? QVER. Vellem, si fieri potest. LAR. Dicam quod dictũ est prius, Nemini te, Querole, nimis sodalem feceris. Res nimium singularis est homo, ferre nõ patiẽs parem. Minores despicitis, maioribus inuidetis, ab æqualibus dissentitis: Dic quęso quid placeat. Ergo secundum vitia & mores quid sit tenendum discito. Compara comessationes, vinum, turbas respue: quem tu maxime tibi obli-

gare

gare volueris, quanto leuius nectito. Conuentus vero, & dibacchationes, & ioca friuola non quæro vt amorem pariāt; vt nam nihil odiorum darent! QVER. Quid quod plures huiuſmodi ſocietate optime vtuntur? LAR. Noui omnia: Illos mihi tu narras, qui totum occultant, nimiū vel prudentes vel felices ſunt quos requiris. hoc ad Querolum non facit. QVER. Eſt aliud quod accuſem. Pauper ego ſum quidem, ſicut tu vel noſti, vel facis: ſed hoc mecum tolerabile eſt. Illud prorſus nō fero, quod tenuitati nemo ignoſcit, neq; cuiquam, vt aliquem dicat pauperem: Quid præterea? Hui quantum adiciunt! Stultitiam, neglegentiam, ſomnium & gulam. Patientia deſidiæ, acrimonia crudelitati adſignantur. Sic vertūtur omnia: nemo ad facultates, nemo ad cenſum reſpicit: Semper diues diligens; contra pauper negligens. LAR. Cenſoribus hæc reſerua, Querole. nunc autem illud dicito, quod ſpecialiter te inquietat & grauat. Nam iſta, quæ protuliſti, communia ſunt & antiqua paupertatis crimina. Tamen tu neq; diues, neq; pauper es. Hoc ſi agnoſceres, felix eras. QVER. Sciſne me nuper patrem amiſiſſe? LAR. Seruaſti præceptum: Speciale hoc plane eſt: hoc eſt, quod nemini antehac contigit. Quid igitur? Nonne hoc iuſtū fuit, buſtū vt efferret filius? QVER. Fateor: ſed pater ipſe nihil reliquit. LAR. Dura deploratio: exequias inanes tibi contigiſſe luges. Iraſceris ergo, nō doles. Patri certe nihil defuit, tibiq; hodie nihil deſit. Non enim hoc parua hęredita-

Succenſesne? ſenio ſaltem extremo ſibimet vixit qui ſemper tibi. Vtinam tu heredibus tantum relinquas, quantum reliquit Euclio. Dic ergo aliud, iam iſtinc nihil audio. QVER. Seruus mihi eſt, quem tolerare nequeo, Pantomalus & mente & nomine. LAR Facilem te, Querole, ſi vnus tibi eſt Pantomalus! multi Pantomalos habent. QVER. Sed plures audio qui ſuos etiam laudant. LAR. Iſti peiores habent. QVER Cur igitur laudant? LAR. Quia quid deperdant neſciunt. QVER. Tempeſtas maxime fructus meos abſtulit. Numquid commune hoc fuit? LAR. Non vno genere homines puniuntur: Tibi tempeſtas obfuit; alter aliud pertulit. QVER. Oe conſortes mei iamdudum nihil incommodi pertulerunt. LAR. Fallis turpiter. QVER. Da quæſo veniam. ignorabam peculiarem tibi curã eſſe hanc de conſortibus meis. Adhuc habeo quod obiciam. Vicinus mihi malus eſt.' LAR. Ecce rem vere malam. Tamen, Querole, de vno iſto quantum etiam hic præſtiterim, vide. Vicinum malum pateris vnum tantum: Quid faciunt illi qui plures habent? QVER. Conſerua iſtum quæſo, Lar familiaris: ex voto meo tuere, quem præſtitiſti, ne forte naſcantur duo. LAR. Quid ſi etiam hinc vincimus? dic, quæſo, nunc mihi, quem tu putas feliciorem, tete, an iſtum, de quo quereris? QVER. Quidnam hic ſimile eſt? Aut nũquid dubitari poteſt, feliciorem eum eſſe, qui alterum queri compellit, quam ille, qui ad querelam confugit? LAR. Hem, Querole, vis iam

nunc

nunc facimus, vt infeliciorem esse hunc scias? QVER. Valde cupio. LAR. Sed hoc egomet tibi tantum indicabo: paululum aurem accommoda. QVER. Cur non aperte loqueris? Nunquidnam etiam tu times? LAR. Quid ni timeam, qui tecum viuo? Aurem accommoda. QVER. Age, dicito. Ha ha he, habeat, teneat, possideat, seque cum suis: laute edepol nos accipis doctor. LAR. Nonne? QVER. Certe, iam nihil conqueror. LAR. Quid istuc, Querole? paululum tibi ita videtur: rursum ad ingenium redis. Sed quoniam miserum te non doces, superest vt felicem comprobem. Dic quæso, Querole, sanus es? QVER. Ita arbitror. LAR. Quanti hoc æstimas? QVER. Hoc etiam imputas? LAR. O Querole, sanus es, & felicem te negas! Vide ne postmodum felicem te fuisse scias. QVER. Iam superius dixeram, bene mecum agitur, sed iuxta alios male. LAR. Certe apud te bene. QVER. Fateor. LAR. Quid quæris amplius? QVER. Quare alii melius? LAR. Iam hoc ad inuidiam pertinet. QVER. Sed recte inuideo. Nam sum deterior inferioribus. LAR. Quid si feliciorem tete edoceo, quam sunt isti, de quibus dicturus es? QVER. Tum igitur facies, posthac Querolus nullum permittat queri. LAR. Vt negotium sit breuius & lucidius, argumenta remoueo. Tu fortunam dicito, cuius tibi conditio placeat. Sortem autem quam ipse volueris, iam nunc dabo. Tantum illud memento, ne putes, posse te

aliquid deplorare atq; excipere, vnde aliquid legeris. QVER. Placeat optio. Da mihi diuitias atque honores militares, vel mediocriter. LAR. Iſtud tibi præſtare valeo: verum illud vide, ſi tu valeas implere quod petis. QVE. Quid? LAR. Potes bellum gerere, ferrum excipere, aciem rũpere? QVER. Iſtud nunquam potui. LAR. Cede igitur prẹmio atq; honoribus his qui poſſunt omnia. QVER. Saltẽ aliquid nobis tribue in parte ciuili & miſerabili. LAR. Vis ergo omnia & exigere, & exſoluere? QVER. Attat, hoc excidit: ã neutrũ volo. Si quid igitur potes, Lar familiaris, facito vt ſim priuatus & potens. LAR. Potentiam cuiuſmodi requiris? QVER. Vt mihi liceat ſpoliare non debentes; cædere alienos; vicinos autem & ſpoliare & cædere. LAR. Ha ha he, latrociniũ, non potentiam requiris. hocmodo neſcio edepol quemadmodũ præſtari hoc poſſit tibi: tamẽ inueni. habes quod exoptas. vade, ad Ligerem viuito. QVER. Quid tum? LAR. Illic iure gentiũ viuunt homines: ibi nullum eſt prẹſtigium: ibi ſententiæ capitales de robore proferuntur, & ſcribuntur in oſſibus: illic etiam ruſtici perorant, & priuati iudicant: ibi totum licet. Si diues fueris, patus appellaberis: ſic noſtra loquitur Græcia: o ſiluæ, o ſolitudines! quis vos dixit liberas? Multo maiora ſunt quæ tacemus: tamen interea hoc ſufficit. QVER. Neq; diues ego ſum, neque robore vti cupio: nolo iura hæc ſilueſtria. LAR. Pete igitur aliquid mitius honeſtiuſque, ſi iurgare non potes. QVER. Da mihi honorem, qualem ob-

tinet togatus ille, muneras quem maxime. LAR. Rem prorsus facilem nunc petisti. Istud etiamsi non possumus, possumus: visne præstari hoc tibi? QVER. Nihil est quod plus velim. LAR. Vt maxima quæque taceam, sume igitur tegmina hieme trunca, & æstate duplicia: sume laneos coturnos, semper refluos carceres, quos pluuia soluat, puluis compleat, cœnum & sudor glutinet: Sume calceos humili fluxos tegmine, quos terra reuocet, fraudet limus cōcolor: æstum vestitis genibus, brumam nudis cruribus: in soccis hiemes, cancros in tubulis age: patere inordinatos labores, occursus antelucanos, iudicis conuiuium, primum, postmeridianum, aut æstuosum, aut algidum, aut insanum, aut serium. Vende vocem, vende linguam, iras atque odium loca. In summa, pauper esto, & reporta penatibus pecuniarum aliquid, sed plus criminum. Plura etiam nunc dicerem, nisi quod efferre istos melius est, quam lædere. QVER. Neque istud volo. Da mihi diuitias, quales consecuntur illi, qui chartas agunt. LAR. Sume igitur vigilias & labores illorum, quibus inuides. Aurum in iuuenta, patriam in senecta quære: tiro agelli, veteranus fori, ratiocinator erudite, possessor iudis, incognitis familiaris, vicinis nouus, omnem ætatem exosus agito, fumus vt lautum pares. Heroes autem Deus ordinabit: istis nolo inuideas, Querole. SÆPE CONDITA LVPORVM FIVNT RAPINÆ VVLPIVM. QVER. Heia, nec chartas volo. Tribue saltem nunc

mihi peregrini illius & tranſmarini mercatoris ſacculum. LAR. Age igitur, conſcende maria, te tuoſque pariter vndis & ventis credito. QVER. Iſtud egomet nunquam volui: Da mihi ſaltem vel capſas Titi. LAR. Sume igitur & podagram Titi. QVER. Minime. LAR. Neque tu capſas continges Titi. QVER. Neque iſtud volo. Da mihi pſaltrias & concubinulas, quales habet auarus ille fenerator aduena. LAR. Habes nunc plane tota mente quod rogas. Suſcipe quod exoptas toto cum choro, ſuſcipe Paphien, Cytheren Briſeidem, ſed cum pondere Neſtoris. QVER. Ha, ha, he, quamobrem? LAR. Habet hoc ille, cuius tu ſortem petiſti. Heo, Querole, numquam audiſti: Nemo gratis bellus eſt. Aut hæc cum illis habēda ſunt, aut hæc cum his amittēda ſunt. QVER. Adhuc inuenio quod requiram: Da mihi ſaltem impudentiam. LAR. Vrbane edepol, tu nunc omnia quæ negauerim concupiſcis: Si toto vis vti foro, eſto impudens: ſed ſapientiæ iactura facienda eſt nunc tibi. QVER. Quamobrem? LAR. Quia ſapiens nemo eſt impudens. QVER. At abi, Lar familiaris, cum tua diſputatione. LAR. At abi, Querole, cum tua querimonia. QVER. Nunquam ne mutabis, calamitas? LAR. Quamdiu tu vixeris. QVER. Felices ergo non ſunt. LAR. Sunt aliqui, ſed non illi quos tu putas. QVER. Quomodo? Si oſtendero iam nunc tibi aliquem & ſanum & diuitem, felicem hunc negabis? LAR. Diuitem potes noſſe; ſanum eſſe quid putas?

QVER.

QVER. Corpore bene valere. LAR. Quid si ægrotat animo? QVER. Istud egomet nescio. LAR. o Querole, imbecilla tantum vobis corpora videntur: Quantum animus est infirmior? spes, timor, cupiditas, auaritia, desperatio inesse felicem sinunt. Quid si nescio quis ille, alius in corde, alius est in vultu? quid si lætus publice mæret domi? Vt maiora reticeam, quid si vxorem non amat? quid si vxorem nimis amat? QVER. Si nemo felix, nemo igitur iustus? LAR. Etiam hinc respondeo. Sunt aliqui, fateor, iusti prope, sed prima est horum calamitas. Estne aliquid quod requiras? QVEROL. Immo edepol nihil: Meam mihi concede sortem, quando nihil melius reperi. LAR. Igitur quamquam felicem esse te cõstiterit, tamen etiam nunc beatiorem te futurum vt agnoscas volo. Aurum hodie multum consequere. QVER. Ludis nos: fieri hoc non potest. LAR. Quam ob causam? QVER. Quia nõ est via. LAR. Sane difficile est nobis facere atque inuenire quod tu non intellegis. QVER. Dic quæso, numquid rex aliquid largietur? LAR. Nihil. QVER. Numquid amicus donabit aliquid? LAR. Nihil. QVER. Numquid ex transuerso quispiam me heredem instituet? LAR. Nihil minus. QVER. Numquid thesaurus alicubi defossus apparebit ante oculos meos? LAR. Atqui si thesaurus domi tuæ lateret, prius alteri esset ostendendus, quam tibi. QVER. Et quidem sum habiturus egomet, quod mihi nullus dabit? LAR. Vade iam nunc, & quicquid contra te est, facito. QVER. Cur ita?

LAR. Sic expedit. Fallenti credito: circumuenienti operam atque adſenſum accommoda: fures ſi ad te venerint, excipe libenter. QVER. Tum ſi aliquis meis ædibus facē ſubiciet, iuberesne me oleum infundere? LAR. Noueram te crediturū non eſſe. QVER. Fures mihi ac prædones CVI BONO? LAR. Vt ſi quid tibi ſpei aut pręſidii eſt, totum auferant. QVER. Cur ita? LAR. Vt ſis diues. QVER. Quomodo? LAR. Bona ſi perdideris tua. QVER. Quamobrē? LAR. Vt ſis felix. QVER. Quomodo? LAR. Si fueris miſer. QVER. Iſtud plane eſt, quod ſæpe audiui, obſcuris vera inuoluere. Sed quid facere me iubes? LAR. Quod cōtra te putas. QVER. Dic ergo quid ſit, ne fortaſſe aliquid pro me faciam neſciens. LAR. Quicquid egeris geſſeriſve hodie, pro te fiet. QVER. Quid ſi egomet nolo? LAR. Velis nolis, hodie bona fortuna ædes intrabit tuas. QVER. Quid ſi ædes obſero? LAR. Per feneſtrā defluet. QVER. Quid ſi & feneſtras clauſero? LAR. O ſtulte homo! prius eſt vt hæ pateant, ipſaque ſeſe tellus aperiat, quam vt tu excludas vel ſubmoueas, quod mutari non poteſt. QVER. Igitur quantum intellego, non mihi præſtatur, quod velim nolim faciundum eſt. LAR. Neque ego id expectabam vt gratias ageres, ſed ut Querolum te conſtaret in omnibus. QVER. Tu nunc quo tendis? LAR. In ædes tuas, immo noſtras me recipio: inde ibo quo libet. Ita tamen vſque quaque peruagabor, vt te nunquam deſeram. QVER. Incertus ego ſum factus magis hodie, quam ſemper fui: Quid

ergo

ergo nunc faciam cum reſpōſo huiuſmodi? Cuiusquamne oraculum tale vnquam datum eſt, vt ipſe ſibimet mala quæreret, aut non excluderet, ſi fieri poſſet, ingruentem miſeriam? Perde, inquit, ſi quid eſt tibi domi, vt adquiras plurima. Mea ſi mihi auferantur, aliena quando aut quis dabit? Vade, inquit; fures require, prædones recipe in domum. Primum hoc ſi cognoſci, atque etiamſi probari potuerit, nonne iudex iure optimo peſſumdabit, tamquam latronum cōſcium? Sed vbinam fures ipſos modo requiram, vbi inueſtigem, neſcio. Vbinam illa eſt cohors fuliginoſa, vulcanoſa, atra, quæ de die ſub terras habitant, nocte in tectis ambulant? Vbi illi ſunt, qui vrbane fibulas ſubducunt, quique curtant balteos? Niſi fallor, vnum ex ipſis video: atque ecce rem gerit. Hem, tibi clamo, impoſtor. Oe, ceſſa: euge, ſeruata eſt fibula. Attat, ſpes mihi nulla eſt; mandato excidi. Interdictum fuerat ne obuiarē furibus, verum ne excluderem. Hercle hoc ſtultum eſt: nihil prorſus hinc placet. Atque edepol, niſi fallor, iſte qui apud me eſt locutus, vrbanus eſt homo. Num quodnam meritum nūc meum, vt mihi potiſſimum res diuina oſtēderetur? Hic neſcio quid eſt prȩſtigii. Vereor hercle, ne furtū, quod denunciabat, iam perfecerit. Ego me hac intus refero, atque hominem, ſi repperero, continuo producam foras.

MANDROGERVS, SYCOFANTA, SARDANAPALLVS.

MAND. Multum ſeſe aliqui laudant, qui vel

pugnaces feras, vel fugaces bestias, aut vestigiis insequuntur, aut cubilibus deprehendunt, aut casu opprimunt. Quāto mihi maius est ingeniū & lucrū, qui homines venor publice? Sed quos homines? Diuites, & potentes, & litteratos maxime. Mandrogerus ego sum, parasitorū omniū longe præstantissimus. Aula quædam hic iacet, cuius odorē mihi trās maria ventus detulit. Cedant iuris conditores, cedant omnia coquorum ingenia: cedāt Apici fercula. Huius ollæ cōditū solus sciuit Euclio. Quid miramini? Aurum est quod sequor: hoc est, quod vltra maria & terras olet. Quid ad hæc vos dicitis, nouelli atque incipientes nunc mei? Quando hæc discere potestis? quando sic intellegetis? quando sic docebitis? SYCO. Atqui si scias, Mandrogerus noster, quale egomet somnium hac nocte vidi. MAND. Dic obsecro, siquid est boni. SYCO. Nocte hac videbam thesaurum, quem sperabamus nobis venisse in manus. MAND. Quid tum? SYCO. Videbam ex parte solidos. MAND. Ha, istud non placet. SYCO Erant præterea vncinuli hamati, torques & catenulæ. MAND. Dic quæso, aliqua insuper non somniasti vincula & verbera? SARD. Infaustum hercle hominem! solum hic non vidit carcerem. Oe homo prodigiose, ego te iam nunc explodo cum verbis tuis. Nocte ista ego insomnis funus vidi. MAND. Di te seruent hic bene. SARD. Et nos ipsi funus illud nescio quo ferebamus. MAND Optime. SARD. Etiam insuper defflebamus defunctum illum, quasi alienum tamen.

men. MAND. Audin'tu iſtæc, ſtulte homo? Talia egomet etiam manifeſta malo, quã tua ſomnia. Funus ad lætitiã ſpectat: Lacrimæ ad riſum pertinent. Et mortuum nos ferebamus. manifeſtum eſt gaudium. Ego autem meum vobis narrabo ſomnium, prorſus manifeſtiſſimum. Dicebat neſcio quis ſomnianti nocte hac mihi ſeruari manifeſta fide, nec cuiquam alteri conceſſum eſſe aurum illud inuenire niſi mihi. Sed inſuper adiecit, ex iſtis opibus hoc tantummodo mihi profuturum, quod conſumpſiſſet gula. SYCO. Optime edepol ſomniaſti. Quid autem aliud quærimus, niſi tantum quod ſufficiat ventri & gulæ? SARD. Pulcre edepol ſomniaſti. Felicẽ te Mandrogerus, noſque qui tecum ſumus. MAND. Sed heus tu Sycofanta noſter, niſi me fallit traditio, iam peruenimus. SARD. Ipſa eſt platea, quam requiris. SYCO. Recurre ad ædiculã cito. MAND. Sacellum in parte argentaria ex diuerſo. SYCO. Vtrumque ſic eſt. MAND. Ventum eſt. SARD. Quid præterea? MAND. Domus excelſa. SYCO. Apparet. MAND. Ilignis foribus. SARD. Ipſa eſt. MAND. Attat quã humiles hic feneſtras video. Euge, hic fruſtra clauduntur fores: tum præterea inermes quantum inter ſeſe diſtant regulæ. Secura hercle regio hic mihi, & fures nil nocent. Sed interius mihi aurum olet. Alia temptandum eſt via. Heia nunc Sycofanta noſter, tuque Sardanapalle, ſi quid vobis ingenii, comitatis & virtutis, nunc totum oſtendite: ego tamquam Cynicus magiſter inuenta & incluſa trado gaudia

Retia vosmet obsidete, dum percurro cubilia. Iam omnia tenetis animo, quæ iam dudum diximus, quæque exinde meditamur nocte ac die. SYCO. De atrio porticus, in recte rationem tenes. SARD. In sacrario tria sigilla. MAND. Conuenit. SYCO. Arula in medio. MAND. sic sunt omnia. SARD. Aurum ante aram. MAND. Hoc iã nostrum est. Quid? ipsius Queroli indicia iam tenetis? SYCO. Melius hercle quam tua. Tu vide an diuinare possis; nos mériri nouimus. MAND. Ego istuc in parte hac deambulatum ibo: illinc obseruabo omnia: atque, vbi res vel ratio postularit, continuo hic adero. SYCO. Nos quoque paululum istac secedamus, ne suspicionem improbitas paret.

QVEROLVS, SYCOFANTA, SARDANAPALLVS.

QVER. Noster ille, qui mecum est locutus, nusquam apparuit, neque aliquid subripuit intus. Iste plane homo non fuit. SARD. Hem, ipse est: vellem hercle audire hunc hominem, quem vidi modo. Ego magos mathematicosque noui; talem prorsus nescio. Hoc est diuinare hominẽ, non qualiter facere quidã risores solent. QVER. Hem, quemnam diuinum isti esse dicunt? SARD. Sed hoc nouum est, quod vidi modo: vbi te aspexerit primum, tuo te vocat nomine, dein parentes, seruos, atque omnem familiã exponit; quasi nouerit quid tota gesseris ętate, quidve postea sis acturus, totũ edisserit. QVER. Bellus hercle hic nescio qui est: non prætereũda est fabula. SYCO.

Quæso

Quæſo ſodes, adgrediamur hominẽ illum ratione qualibet. SARD. O me ſtultum atque ineptũ, qui non cõſului ſtatim! SYCO. Et ego hercle vellem: verum, vt noſti, non vacat. QVER. Cur non omnia agnoſco? Saluete amici. SYCO. Saluus eſto, qui ſaluos eſſe nos iubes. QVER. Quid vos? ſecretumne aliquod? SARD. Secretum a populo, nõ ſecretum a ſapientibus. QVER. De mago neſcio quid vos audiui. SARD. Ita eſt, de neſcio quo nũc ſermo erat, qui omnia diuinat. Verum quiſnam ille homo ſit, neſcio. QVER. Eſtne talis aliquis? SARD. Maxime ergo, Sycofanta, vt dixeram, per te tuoſq;, mi ſodes, te rogo vt illac venias, venias mecum vna ſimul. SYCO. Iamdudum dixi, vltro & libenter irem, ſi vacuum nunc eſſet mihi. SARD. Mane pauliſper. QVER. Quæſo amice, ne te ſubripias tam cito. Egomet quoque ſcire cupio, quiſnam iſte eſt, de quo ſermo nunc erat. SYCO. Edepol, neſcio quid aliud mihi eſt negotii: cognati atque amici iamdudum me expectãt domi. SARD. Magna hercle hominis difficultas & perſuaſio: neque nunc te amici expectant, neque cognati: pauliſper mane. QVER. Quæſo, amice, ſi mea non eſt odioſa ſocietas, cõſulere vobiſcum volo. SARD. Vereor hercle, ne difficilem ſe nobis faciat, ſi plures videt. SYCO. Optime edepol: ecce ſodes comitem quærebas, habes: mihi moleſtus ne ſies. QVER. Quæſo, amice, ſi huic ita videtur, abeat, nos illac vna ſimul. SARD. Atque iſto nobis eſt opus, quoniam hominem illum vidit, & nouit bene. QVER. Iuſtum eſt vt nobis hodie operã

inpendas, quoniam ſic ratio expoſtulat. Syco. Immo hercle iſte illum nouit melius, atque ille hunc familiariter. Qver. Sed quæſo nunc veſtrã fidem, quisnam hic homo eſt, vel cuius loci? Syco. Quantum comperi, Mandrogerus vocatur: hoc ſcio. Qver. Attat, pulcrum hercle nomen: iam hoc de Magis exiſtimo. Syco. Primum præterita edicit, ſi omnia cognoſcis, tum de futuris diſſerit. Qver. Magum hercle hominem tu narras, & conſuli hunc nõ placet? Syco. Volo equidem, ſed pauliſper non vacat. Qver. Age, da operam amicis: nobis quoque ſimiliter impera, ſi quid voles. Syco. Habeo gratiam: quoniam iſtud vultis, fiat. Sed audite quid loquor, huiuſmodi homines impoſtores eſſe. Qver. Hem, ſodes, ipſud volebam dicere. certe ferulas nõ habet, neque cum turbis ambulat. Syco. Ha ha he, tales hercle conſulere hic deberet homo curioſiſſimus? Sard. Verbis quantum vult, ille fallat: plus de nobis non licet. Syco. Si vobis ita videtur, placeat vt ego hominẽ ſciſciter, atque vt omnia perquiram non vno modo: ſi mihi ille de omnibus reſpondere potuerit, ſciatis, vere hunc eſſe diuinum vel magum. Sard. Dixiſti optime. Sed eccũ ipſe hac pręterit: ita vt volui contigit: quanta in ingreſſu grauitas, quanta in vultu dignitas! Qver. Adgrediamur hominem, atque a publico ſeuocemus, vt ſecreto diſſerat.

QVEROLVS, MANDROGERVS, SYCOFANTA, SARDANAPALLVS.

Qver. Salue Mandrogerus. Mand. Saluos eſſe volo:

volo. QVER. Tu quoque incolumis esto, sacerdotum maxime, quoniam laudaris ac diligeris plurimum merito tuo. SYCO. Scin'tu, Mandrogerus, quid ex te voluimus noscere? MAND. Quænam? fortasse noui. SYCO. Consulere de quibusdam volumus & cognoscere tuã insignẽ sapientiam. MAND. Non equidem constitueram: sed quoniam ita vultis, consulite, vt respondeã. SYCO. Quæsumus vt libenter nobis operam tuã inpendas: prolixa nunc disceptatione opus est. MAND. Dicite quid velitis. SYCO. Primum vt exponas, quæsumus, quæ sunt optima sacrorũ genera vel cultu facilia. MAND. Duo sunt genera potestatum: Vnum quod iubet; aliud quod obsecundat. Sic reguntur omnia. Præclarior maiorum potestas; sed minorum sæpe vtilior gratia. Verum de maioribus dicere, neque mihi dicere, neque vobis audire est vtile. Itaque si & inuidiam & sumptũ euitatis, sperate ab inferiorib. SYCO. Quænam ista sunt obsequia, quibus obsequi nũc oportet? MAND. Dicã celeriter. Tria sunt in primis: Planetæ potẽtes, anseres importuni, & Cynocefali truces. Has tu effigies omnibus in fanis & sacellis si intueare, vel placare potueris, nihil est obstare quod possit tibi. SYCO. Illosne quæso tu mihi planetas loqueris, numeris qui totũ rotant? MAND. Ipsos: nec visu faciles, nec dictu affabiles: atomos in ore voluunt, stellas numerant, maria æstimant: sola mutare non possunt sua. SYCO. Egomet audieram, quod ipsi omnia gubernarent. MAND. Ha ha he, hic si aliquid gubernare

censes, nescio vbi naufragium dixeris: Vbi rerum omnium penuriam esse norunt, illic homines nõ regant. Summa est medella, vicissim alia vt euertat loca: messes hac atque illac transferunt diris tempestatibus, omnesq; fructus paucorum improbitas capit. SARD. Nouum tibi est, transferri messes? MAND. Istis licet rerum omnium species atque formas, vt libuerit, vertere. Sed quot gradibus & transfusionibus? aliud ex alio iubẽt: triticum ex vino subito fieri videas; vinum ex tritico. Iam flaua seges hordei facile efficitur ex quouis titulo & nomine: mortales vero animas siue Inferis siue Superis addere, nullus labor. SARD. Vides ergo tã potentes placari oportere? MAND. Ha ha he, paucis hoc licet: sacraria istæc nimis superba sunt & sumptuosa, maxime si obaudire vultis, exiguo votum soli sacello soluite. SYCO. Et oracula istæc vbinam specialiter sunt expetenda? MAND. Vbi libet: hac atq; illac, sursum deorsum, in terra in mari. SYCO. Et quisnam infelix deprehendere aut adire possit hæc tam varia sidera? MAND. Adire facile est; abire impossibile. SYCO. Quamobrem? MAND. Mysteria sunt in aditu diuersa & occulta, quæ nos soli nouimus, arpyiæ, cynocephali, furiæ, vlulæ, nocturnæ striges: absentes hydris congregant; præsentes virgis submouent: Ita neque abesse licitum est, nec adire tutum: turbas abigunt, & turbas amãt. quid plura, Querole? Si te Numina diligunt, ne tu quicquã hinc noueris. SYCO. Atqui, sacerdos noster, mysterium hoc iam displicet: de secundo illo genere

nere anſerino ediſſere atque expone, ſi quid eſt boni. MAND. Iſti ſunt qui pro hominibus perorant ante aras atque altaria, quibus cygnea ſunt capita & colla: reliquias edere menſarum ſolent. Iſti ſunt ariolorum longe fallaciſſimi. Tantum eſt quod vota hominum interpretantur & male, precemque dicunt, ſed reſponſa nunquam eligunt cõgrua. SARD. Hoſne tu olores eſſe narras? ego in ſacellis proxime anſeres inſpexi multos: neminem vidi cygnum: magnis gutturibus capita attollunt, alas pro manibus gerunt: primum inter ſeſe linguam triſulco vibrant ſibilo: inde vbi ſonuerit vnus, cuncti alas quatiunt, diris cum clangoribus. MAND. Non paruo explentur iſti: panem neque nouerunt neque volunt: hordea inſectantur fracta & madida: ſpicas nonnulli vorant: quidam etiam polenta vtuntur, & carne iã ſubrancida. SYCO. En ſumptum inanem. MAND. De iſtis quondam magnus dixit Tullius, Anſeribus cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio. SYCO. O genus hominũ multiforme & multiplex! His egomet fuiſſe arbitror matrẽ Circen, Proteum patrem. SARD. Edepol neque iſti placent. Cynocefalos nunc expone, ſi meliores putas. MAND. Iſti ſunt qui in fanis ac ſacellis obſeruant vela ac limina, quibus a pectore capita ſunt canina, alui des, pandæ manus, æditui cuſtodeſque iſtos Ecuba quondam poſtquam vere facta eſt canis, Anubi nupta noſtro latranti Deo omnibus templis ac delubris ſemper denos edidit, ſic a pectore biformes, infra homines, ſur-

sum feras. Itaque vbi ignotus precator templæ petierit, hinc atque hinc multisono cuncti latratu fremunt: vt adeas, tantum dabis; vt perorare liceat, multo plus dabis. Mysteriũ de religione faciunt & commercium: quæ communia sunt & gratuita, vendunt foris: istis omnibus litandum, si paruo nequeas, at quanti queas. Respicite ad homines potestatesque vestras, & nobis veniam date: mihique credite, Deus facilius aditur, quã prole cognitur. SYCO Actum est, neque istos volo, nihilq; inter omnia, quæ narrasti, improbius puto. SARD. Felices vos qui non Cynocefalos pertulistis: Ego autem ipsum vidi Cerberum, vbi nisi ramus aureus adfuisset, Æneas non euaserat. SYCO. Quid de simiis? MAND. Istæ sunt, quæ futura scribunt gesta, quæ vos dicitis: hominũque fata leuibus voluunt paginis: non quidem periculosa hæc animalia, sed molesta atque improba. Quas illic sannas, quos corymbos videas, si nummos non asperseris? Nam si insuper nuces & sorba dederis, omnem pupillum ceperis. SYCO. Arpyias, quæso, præteristi, quæ semper rapiunt & volant. MAND. Istæ sunt quæ vota hominũ obseruant, atque honores numinum: non solũ sollemnia, verum etiam extraordinaria requirunt, & parentum debita: si aliquid ad diem præsentatum non est, cum tormentis exigũt: hac atque illac totum per orbem iuxta terras peruolãt: digitos ad prædam exacuunt curuis timendos vnguibus, semperque mensis aduolant: quod contingunt, auferunt; quod relinquunt, polluũt.

Istæc prodigia alere quam nosse malo: sed neutrum placet. SARD. Noctiuagas etiam præteristi celeres, capripedes, hirqui comantes. MAND. Innumerabilia sunt hæc prodigia; sed ignaua & vilia: solum hoc est, quod sequuntur atque obseruant vnice panem domini. SYCO. Omnia sacra tute ipse improbasti: quænam igitur prædicas? MAND. Quoniam simpliciter interrogastis, scitote inter istæc omnia nihil esse melius, quam vt aliqui fato nascatur bono. QVER. Et ita suspicamur. Sed fatum ipsum qualiter tandem coli, vel propitiari potest? MAND. Dicam. Genii sunt colendi, quoniam ipsi decreta fatorum regunt; isti sunt placandi atque exorandi: simulque si qua intra ædes latet mala fortuna, vincienda atque exportanda est. QVER. Pulcre edepol doces: Sed vt facilius nunc sequamur omnia, da nobis experimentum tuæ potestatis & sapientiæ: quoniã ea, quæ noueras, narrasti, nunc, si potes, ea quæ nescis dicito. MAND. Non equidem ex integro fieri istud potest: tamen accipite pauca, de quibus intellegatis cetera. Certe egomet neque mores, neq; facultates vestras didici. SARD. Certum est. MAND. Tu, Sardanapalle, pauper es. SARD. Agnosco: verũtamen vereor, ne plures hoc sciant. MAND Humili loco natus. SARD. Ita est. MAND. Ideo tibi contrá regium nomen datum est. SARD. Ita aiunt. MAND. Homo es vorax, petulans, & calamitosissimus. SARD. Heo, Mandrogerus, numquidnam hoc sum precatus, vt vitia enarres mea? MAND. Mẽtiri mihi non licet. Estne adhuc quod

narrare me velis? SARD. Vtinam ne istæc quidem de me locutus esses; si quidem, vlterius hæc amicis dicito. SYCO. Ego te, Mandrogerus, hoc exoro, futura nunc mihi vt enarres, & ea tantummodo, quæ sunt bona. MAND. Ego non possum nisi a capite exponere: Tu Sycofanta, nobili & claro natus es loco. SYCO. ita est. MAND. ab initio nequam. SYCO. Etiam hoc confiteor: manet. MAND. Damna te premunt. SYCO. Verum est. MAND. Periculum sæpe tibi incumbit, igni, ferro, flumine. SYCO. Pulcre edepol omnia narrauit, quasi qui mecum vixerit. MAND. Datũ tibi est, de proprio nihil habere. SYCO. Intellego. MAND. Sed de alieno plurimũ. SYCO. Iam istud nobis sufficit. Nunc illud te quæsumus, vt etiã huic responsa tribuas, homini minime malo. MAND Ita fiat. Heus tu, amice, tun' Querolus diceris? QVER. Dii te seruẽt, ita est. MAND. Quid horæ nuncupamus? SYCO. Inter sextam & tertiam. QVER. nihil fefellit: de clepsydra respondisse hominẽ putes. Hem! quid igitur Mars trigonus, Saturnus Venerem respicit. Iuppiter quadratus, Mercurius huic iratus, Sol rotundus, Luna in saltu est. Collegi omnem iam genesim tuã, Querole: mala fortuna te premit. QVER. Agnosco. MAND. Pater nihil reliquit: amici nihil largiuntur. QVER. Verum est. MAND. Vis totum audire? Vicinum malum pateris, seruum pessimum. QVER. Agnosco omnia. MAND. Vis & nomina seruulorum tibimet etiam nunc eloquar? QVER. Audire cupio. MAND. Seruus tibi est Pantomalus. QVER. Verum est. MAND. Est alter

ter

ter Zeta. QVER. Manifestū est. SYCO. O sacerdotem diuinum! MAND. Visne adhuc amplius? Scisne, a me domum tuam ignorari? QVER. Maxime. MAND. Porticus tibi est in dextra, vt ingrediaris sacrariū e diuerso. QVER. Ita sunt omnia. MAND. In sacrario tria sigilla. QVER. Verum est. MAND. Tutelæ vnum, Geniorum duo. QVER. Iam iam comprobasti potestatem ac disciplinam: nunc remedium promito. MAND. Vbi celeriter consuli potest, & sine sumptu ac mora: sacrarium certe solum ac secretum est. QVER. Ita. MAND. Certe nihil est illi conditum. QVER. Nihil, præter sigilla. MAND. Sollemnitas quædam ibidem celebranda est: sed religio tecum omnes exclusit foras. QVER. Vt libet. MAND. Religio per extraneos celebranda est. QVER. Ita fiat. MAND. Si quosnam possumus nūc inuenire tam cito, optimum erat atque opportunum, isti si vellent operam nunc tibi dare. QVER. Quæso, amici, officium nunc & religionem impendite: ego quoque si opus fuerit, vobis operam præstabo meam. SYCO. Nihil quidem istinc nouimus: sed si ita facto opus est, fiat. SARD. Inhumanum est, votis operam denegare. MAND. Bene dicitis, ambo estis boni. QVER. Pro nefas! mene quasi ex consilio non solum fore? Hem. Pantomale, celeriter iam nūc peruola, & arbitrum vicinū nostrum, vbicumq; iam nūc reppereris, vsq; ad nos pertrahe. Sed noui egomet te: vade iam nunc & cauponibus tete hodie colloca. MAND. Nescis, Querole, fatum ac decretum momentis regi? QVER. Quid igitur? MAND.

Hora eſt, ſynaſtria iſtæc mihi placet: niſi iam nũc aliquid geritur, fruſtra huc venimus. QVER. Eamus igitur intus. MAND. Tu præcede, nos tecum ſumus. Hé, quod exciderat, eſtne aliqua tibi arcula inanis? QVER. Non vna quidem. MAND. Vna tantũ eſt opus, in qua luſtrũ illud exportetur foras. QVER. Ergo & claues largior, vt incluſa excludatur calamitas. MAND. Omnia ſunt peracta, quod bonum, fauſtum, felixque ſit huic domui. Nos præſto ſumus.

PANTOMALVS *ſeruus.*

Omneis quidem dominos malos eſſe conſtat, & manifeſtiſſimum eſt: Verum ſatis ſum expertus, nihil eſſe deterius meo. Non quidem periculoſus ille eſt homo, verũ ingratus nimium & rancidus. Furtum ſi admiſſum domi fuerit, execratur tamquam aliquod ſcelus: ſi deſtrui aliquid videat, continuo clamat & maledicit quam male. Sedile, menſam, lectum, ſi aliquis in igné iniciat, feſtinatio noſtra vt ſolet, etiã hinc queritur. Tecta ſi percolent, ſi confringantur fores, omnia ad ſe reuocat, omnia requirit: hercle hic non poteſt ferri. Expenſas autem rationeſque totas propria perſcribit manu: Quicquid expenſum non docetur, poſtulat reddi ſibi. In itinere autem quam ingratus atque intractabilis! Quotiens autem eſt antelucãdum, primum vino, dein ſomno indulgemus. hinc primum eſt iurgium: Poſt autem inter ſomnum & temetum, neceſſe eſt vt ſequantur plurima: turba trepida, perquiſitio iumentorum, cuſtodum fuga, mulæ diſpares, iuncturę inuerſæ,

uersæ, mulio nec se regens. Huic rei prorsus noua in itinere culpa. Quando autem aliud fuit, sic paulisper patientia: totum istud emendat mora. At contra Querolus causam ex causa quærit: aliud ex alio ligat: mouere inutile carpentum non vult, neque animal debile: continuoque clamat, Quare istud non suggessisti prius? quasi ille prius videre hoc non potuerit. o iniqua dominatio! Ipse autem si culpam fortassis aduertit, dissimulat & tacet, & tum litem intendit, quando excusatio nulla iam subest, ne postea succurrat illud, Iam volebam facere, Iam volebam dicere. Iam quotiens vltro citroque extrudimur, necesse est remeare ad diem. Atq; vt agnoscatis penitus artem hominis pessimi, vnam semper vltra iustum nobis largitur diem, vt ad præscriptum reuertamur. Nõne iste irarum causas quæritat? Nos autem semper, quicquid libet aliud alio fuerit tempore, illam nobis specialiter diem tribuimus qua redituri sumus. Itaque dominus, qui falli sese nõ vult, neque decipi, quem Kalendis velit adesse, redire iubet pridie. Illud autem quale est, quod temulentum execratur, atque agnoscit quam cito? modum qualitatemque vini in voltu & labiis primo conspectu videt: falli se prorsus non volt, neque circumueniri, vt solent. Quisquã ne huic possit bene aut seruire, aut obsequi? calidam fumosam non volt, neq; calices vnguẽtatos. Quænam sunt hæ deliciæ? vrceolum contusum & infractũ œnoforum exauriculatum & sordidum, ampullam truncam limosamque, densis fultam

cerulis non ſimpliciter intuetur: bilem tenere vix poteſt. Iam excogitare nequeo quid ſit, quod tam prauis placere poſſit moribus. Vinum autē corruptum tenuatumque lymphis continuo intellegit. Solemus etiam vinum vino admiſcere: numquid adulterium dici hoc poteſt, cum lagæna vetere caſtrata ſuco, rurſus completur nouo? Etiam hoc Querolus crimen indignum putat, & vt eſt nequitia, ſuſpicatur hoc ſtatim. Ipſum etiā paxillum argenti leuibus tēſum tympanis limari commutarique ſemper credit, quia factum eſt ſemel. Quantula eſt autem diſcretio? In argento certe vnus eſt color. nam de ſolidis mutandis mille ſunt præſtigia. muta, remuta facimus, & hoc mutari non poteſt. Has ſaltem diſtingui nō oportet tam gemellas formulas. quid tā ſimile, quam ſolidus ſolido eſt? Etiam hic diſtantia quæritur in auro, voltus, ætas, & color, nobilitas, litteratura, patria, grauitas, vſq; ad ſcriptulos quæritur, in auro plus quam in homine. Itaque vbi aurum eſt, totum eſt. Hoc ante Querolus ignorabat: ſed mali perdunt bonos. Ille autem arbiter, ad quem nunc eo, quam ſceleratus eſt homo? Seruis alimenta minuit; opus autem plus iuſto imperat, inuerſo hercle modio, ſi liceret, turpe eliceret lucrum. Itaque ſi quando iſti caſu vel conſulto ſe vident, tunc inuicem ſeſe docēt: & tamen hercle, vt omnia dicātur, ſi neceſſe eſt, malo meum. Adhuc ille noſter, qualiſcumq; eſt, tamen auarus non eſt in ſuos: ſolū illud eſt, quod nimium crebro verberat, ſemperque clamat. Itaque

Itaque illis ambobus Deus iratus sit: & non sumus tamen tam miseri atque tam stulti, quã quidam putant. Aliqui somnulentos nos esse credunt, quoniam somniculamur de die: nos autem id facimus vigiliarum causa, quia vigilamus noctibus. Famulus, qui diurnis quiescit horis, omni vigilat tempore. Nihil vnquam melius in rebus humanis fecisse naturam, quam noctem puto: Illa est dies nostra: tunc aguntur omnia. Nocte balneas adimus, quãuis sollicitet dies: Lauamus autem cum pedisequis & puellis. Nonne hęc est vita libera? Luminis autem vel splendoris illud subornatur, quod sufficiat, quod publicet. Ego nudam teneo, quam domino vestitam vix videre licet: Ego latera lustro: ego effusa capillorũ metior volumina: adsideo, amplector, foueo, foueor: Cuinam dominorum hoc licet? Illud autem nostræ felicitatis caput, quod inter nos Zelotypi non sumus: furta omneis facimus; fraudem tamẽ nemo patitur, quoniam totum hoc mutuum est. Dominos autem obseruamus atq; excludimus. nam inter seruos & ancillas vna coniugatio est. Væ illis, apud quos domini vigilias multam in noctem protrahunt: Tantum enim seruis de vita abstuleris, quantum de nocte abscideris. Quãti sunt ingenui, qui transfigurare se vellent hoc modo, mane vt domini fierent, serui vt vespere? Nunquam tibi, Querole, opus est, vt cum istæc omnia nos exercere: tu aut tributũ cogites: nobis autẽ cotidie nuptiæ, natales, ioca, dibacchationes, ancillarum feriæ: propter hoc quidam

nec manumitti volunt. Quis enim tantam expéſam tantamque impunitatem præſtare poſſit libero? Sed nimium hic reſedi. Meus ille, credo, iam nunc clamauit, vt ſolet. fas erat me facere quod præcepit, id eſt, vt ad ſodales pergeré: Sed quidnam hic fiet? Accipienda & muſſitanda iniuria eſt: Domini ſunt: dicant quod volunt, quádiu libuerit: tolerandum eſt. Dii boni nunquáne indulgendum eſt mihi, quod dudum peto, vt omnis ille durus & dirus nimis aut ex municipe, aut ex togato, aut ex officii principe? Quamobré iſtud dico? Quia poſt indulgentiam ſordidior eſt abiectio. Quid igitur optem, niſi vt faciat ipſe quod facit? Viuat ambitor togatus, conuiuator iudicum, obſeruator ianuarum, ſeruulorum ſeruulus, rimator circumforanus, circumſpectator callidus, ſpeculator captatorque horarum & témporum, matutinus, meridianus, veſpertinus: impudens ſalutet faſtidientes: occurrat non veniétibus: vtaturq; in æſtu tubulis anguſtis & nouis.

MANDROGERVS, QVEROLVS.

MAND. Depone ab humeris, Querole, pódus tá graue: ſatisfactum eſt religioni, quod tute ipſe malam fortuná portaſti foras. QVER. O Mádrogerus, fateor, nunquá fieri poſſe hoc credidi: potentiam tuá & religioné ipſa res probat: arcula iſtæc iá dudú a me introlata eſt: quá leuis mihi ſoli fuit, & núc quá grauis eſt duobus? MAND. Neſcis, nihil eſſe grauius fortuna mala? QVER. Edepol noui & ſcio. MAND. Dii te ſeruét, homo: Mihi ipſi hoc præter ſpem venit, quod me laudas modo:

Nul-

Nullã vnquã domũ sic purificatã retineo: quicquid erat calamitatis egestatisque, inclusimus. QVER. Miror hercle, vnde pondus. MAND. Enarrari subito hoc nõ potest: Ceterũ solet euenire, vt istæc calamitas moueri multis nõ possit iugis. Iã istinc ergo ministri nũc mei lustrũ istud in fluuios dabũt: Tu autẽ monita, quę iam nunc dabo, sensibus imis cape. Mala hæc fortuna, quam abstulimus, redire temptabit domum. QVER. Nec dii sinant: Vna sit illi istæc & perpetua via. MAND. Triduo ergo istuc periculum tibi est, ne hæc ad te redire temptet res mala. Tu igitur vniuerso hoc triduo domi clausus esto nocte ac die: nihil de domo tua foris nunc dederis, nihilque intra ædes recipias: vicinos, cognatos, amicos omneis tanquam profanos respue: ipsamque bonam fortunam clamantem pulsantemque nemo hodie audiat. Exacto autem hoc triduo, illud domi non habebis, quod ipse ex ipsa excluseris. Abi ergo intus. QVER. Ego vero, ac libens, dum tantummodo inter me ac fortunam meam solum paries intersit. MAND. Celeriter hũc abige. hem, Querole, fortiter nunc claude fores. QVER. Factum est. MAND. Seras & catenas adhibe. QVER. Tanquam pro memet, fecero.

MANDROGERVS, SYCOFANTA, SARDANAPALLVS.

MAND. Pulcre edepol res processit: Inuentus, spoliatus, clausus est homo. Sed vbinam ornam respicimus? vel vbi arculam istam confringemus atque abscondemus, ne furtum indicia prodant?

SYCO. Neſcio edepol, niſi vbicumque in flumine. SARD. Credis, Mandrogerus? præ gaudio ornam illam inſpicere non auſus fui. SYCO. Neque ego. MAND. Atqui hercle ita facto opus fuit, ne mora ſuſpicionem afferret. SYCO. Verum eſt. MAND. Primum fuit vt inueniretur. Iſtud iam ſequitur: tutum eſt. SYCO. Quicquid libet narres, Mandrogerus: recedamus qualibet: Ego autem non credam mihi, niſi aurum inſpexero. MAND. Neque ego diſſimulo: pergamus. SYCO. Hac atque illac, tantum ad ſecretum locum. MAND. Pro nefas, viæ omneis aſſeruantur, ripæ frequentur. Pergamus quocunque celeri.

PANTOMALVS, ARBITER.

ARB. Hem Pantomale, domi quid agitur? veſter ille quid facit? PANT. Quod noſti, male. ARB. Ergo queritur? PANT. Non plane: ita ſit nobis incolumis atque propitius. ARB. Atqui hercle ſolet eſſe ingratus. PANT. Quid vis fieri? ſic res habet: Cælum numquid æqualiter adminiſtratur? SOL IPSE NON SEMPER NITET. ARB. Bene, Pantomale noſter, tandem pro dominis ſolus qui hæc dictitas. PANT. Eadem dico, vobis abſentibus præſentibuſque. ARB. Credo: nam ſemper noui te bonum. PANT. Tu nos bonos ac ſemper felices facis, qui noſtrum illum bene mones. ARB. Feci, & facio ſemper. PANT. Vah! vtinam ille mores ſeruaret tuos, eſſetque apud nos tam patiens atque indulgẽs, quam tu cum tuis. ARB. Non agnoſco hęc, Pantomale, ſuffragia: nimium noſmet prædicas. PANT. Edepol nos omneis ſci-

mus.

mus, & laudamus plurimum: vtinãq; illa tibi omnia eueniant, quod nos optamus ſeruuli. Arb. Immo tibi hercle, pellib. oſſibusq; veſtris eueniat, quicquid optaſti mihi. Pant. Ha! cur ita ſuſpicaris? nũquidnã in aliquo nos grauas? Arb. Non, ſed quia vobis naturale eſt odiſſe Dominos ſemper ſine diſcrimine. Pant. Male imprecamur multis: verũ eſt, & ſæpe & libere: ſed illis ſycofantis & maliloquis, quod noſti bene. Arb. Age, iã credo. Sed quidnam tu dominum facere aiebas? Pant. Rẽ diuinã cæperat: Magus præſto erat cũ miniſtris: intus omnes tũc ibãt ſimul. Arb. Quidnã eſt hoc, quod fores clauſas video? credo diuinã rẽ gerũt. Euoca illinc aliquẽ. Pant. Hẽ Theocles, hẽ Zeta: aliquis huc adſit cito: quidnã eſſe hoc dicã? Silentiũ eſt ingẽs: nemo eſt. Arb. Solebant non ita ſomniculari ianitores iſta in domo. Pant. Credo hercle, religionis cauſa ab importunis cautio eſt. Eamus huc ad pſeudothyrum, quam noſti bene. Arb. Quid ſi illic clauſum eſt? Pant. Ne vereare, me duce. noſter ille eſt aditus: claudi, non intercludi poteſt.

MANDROGERVS, SYCOFANTA, SARDANAPALLVS.

MAND. O me miſerũ! SYCO. O me infelicẽ! SARD. O me nudũ & naufragum. SYCO. O magiſter Mãdrogerus! SARD. O Sycofanta noſter! MAND. O pater Sardanapalle. SARD. Sumite triſtitiã miſeri ſodales, cucullorũ tegmina: plus eſt hoc quã hominẽ perdidiſſe: dãnũ vere plãgitur. Quid agitis nũc potentes? quid de theſauris cogitatis? Aurũ in cinerẽ verſũ eſt: vtinãq; totum

ſic fieret aurum: magis eſſemus diuites. MAND. Depone pauper inane pondus, lacrimas demus funeri. o fallax theſaure! næ te ego per maria & vẽtos ſequor: propter te feliciter nauigaui: propter te feci omnia: matheſin & magicam ſum conſecutus, vt me ſepulti fallerent? aliorum fortunam expoſui; fatum ignoraui meum. Iam iam omnia recognoſco, varia hæc phantaſmata. Erat hic plane bona fortuna; ſed alteri debebatur, nõ mihi: noſtra hæc mutauere fata: theſaurum nos, ſed alienum inuenimus. Quænam hæc eſt peruerſitas? nunquam ego fleui meum; nunc plango alienum: & te, Querole, iuſtus non tangit dolor? SARD. O crudele aurum! quiſnam te morbus tulit? quis te ſic rogus aduſſit? quis te ſubripuit magus? Exheredaſti nos theſaure: quonam redituri ſumus tot abdicati? quæ nos aula recipiet? quę nos olla tuebitur? MAND. Accede amice, aulam iterum atque iterum viſita. SYCO. Aliam ſpẽ quærere, amice, poteras: hæc iam non calet. MAND. Perlege quæſo iterum titulum funeris, atque omnem ſcripturæ fidem. SARD. Quęſo, inquam, ſodes: funus egomet quodlibet contingere nequeo: nihil eſt quod metuam magis. SYCO. Metuculoſus homo es tu, Sardanapalle: ego perlego: TRIERINVS TRICIPITINI FILIVS CONDITVS ET SEPVLTVS HIC IACET. Hẽ me miſerum, hem me miſerum! MAND. Quidnã tibi eſt? SARD. Anima in faucibus. Audieram egomet olere aurum: iſtud etiam redolet. MAND. Quomodo? SYCO. Clauſtrum illud plumbeum

densa

denſa per foramina diris flagrat odoribus. Nunquam antehac comperi, aurum ſic ranceſcere: vſurario cuilibet fœtere hoc poteſt. MAND. Quiſnam cinerũ eſt odor? SYCO. Ille pretioſus atque triſtis cultus, quem poſcit miſer. MAND. Honorifice hoc buſtum tractatum apparet, cuius adhuc ſic redolet dignitas. SYCO. Ego iſtæc non pertuliſſem, ſi recinenti ac monenti credidiſſem graculæ. SARD. Ego in laqueos nõ incidiſſem, ſi monita curti ſeruaſſem canis. MAND. Et qualiter te admonuit? SARD. Egredienti mihi ad angiportũ ſuras omnes conſcendit. MAND. Vtinam tibi crura ipſa eneruaſſet, ne vnquam inde mouiſſes pedem. O Euclio funeſte! parumne viuus illuſiſti? ne defunctus deſinens? Et quid ego non merui, qui agelaſto illi & perfido fidem accommodaui? & fortunas meas in ipſo riſit exitu? SYCO. Heia quid nũc facimus? MAND. Quid autem niſi quod dudum diximus, vt nos ſaltem de filio eius Querolo vlciſcamur probe? atque illum, quoniam eſt credulus, mirificis laudemus modis: aulam illi per feneſtram propellamus clanculum, vt & ipſe lugere incipiat, quem nos iamdudum plangimus. Pedetemptim accede atque auſculta, Querolus quid rerum gerat. SARD. Conſiliũ placet. MAND. Accede edepol, ſed vrbane reſpice. SARD. Attat, quid ego video? omneis nunc intus homines ſuſtes ac virgas tenẽt. MAND. Credo edepol iſti malam fortunam exſpectant, creduli: accede, atque homines miris terrifica modis; malam illam dicito eſſe te, & comminare, tanquam in ædes in-

ruas. SARD. Io Querole. QVER. Quis tu homo es? SARD. Fores celeriter vides. QVER. Quamobrem? SARD. Vt domum rursus ingrediar meam. QVER. Hem Zeta, hem Pantomale: hac atque illac obsistite: Abi hinc potius, mala fortuna, quo te Sacerdos detulit. SARD. Hem Querole. QVER. Quid, rogo, nomen tu vocitas meum? SARD. Ego sum tua fortuna, quam rediturã prædixit magus. QVER. Abscede hinc: ego hodie fortunã non recipiam, nec bonam. MAND. Heus tu sycofanta, ad ianuam sta: homines seuoca, dum ego bustum hoc per fenestras ingero. SYCO. Aperite hanc ianuam. QVER. Omnes celeriter huc accurrite. MAND. Ecce tibi thesaurum Querole, quem reliquit Euclio: talem semper habeas, talem relinquas filiis. Omnia sunt perfecta: nos hinc ad nauem celeriter, ne quod etiã nunc subito hic nobis nascatur malum. SARD. Ha! quid hodie acciderit, subeundum est. Tantum recurrã huc paululum: perdidi mysterium, nisi ipse Queroli verba audio. Homo est autem & credulus & formidolosus plurimum: qualiter nunc ille exhorrescit mortuum? Admouebo aurem hac leuiter. hem. quidnam ego audio? Omnes intus gaudẽt, tripudiãt: Nulla spes mihi est. Auscultabo iterũ. Actum est: felicitas ad istos venit: nobis ergo, nobis male. Omneis intus saccos, capsas, scrinia requirunt: aurum isti tractant: solidi intus tinniũt. Heu me miserum. vita erat, vbi nos mortem putabamus esse conditam. Errauimus miseri, sed nõ simpliciter: errauimus, & non semel. Metamor-

phosis

phosis hic agitur: bustum abstulimus; aurum abiecimus. Sed quid ego? Nunc solum hoc restat nunc mihi, vt pro fure iam nunc tenear. Ibo ad coniuratos meos, ne tantum facinus verumque funus solus egomet defleam.

LAR FAMILIARIS.

Tandem vrna peperit auri grauida pondera, vilisque mater grãde puerperium dedit, indigna quæ frangeretur. Tanta hoc non meruit fides. Magna plane aula & memorabilis vno atque eodem tempore domino fidem persoluit, furtum fecit furibus. O sapiens Euclio. nos iactantes nõ sumus: thesaurum seruasti viuus, liberasti mortuus. OMNES itaque homines nunc intellegant, neque adipisci neque perdere valere aliquid, nisi vbique faueat totum ille qui potest. Quantum ad personam Queruli spectat, perfecta iam sunt omnia. Sed Mandrogerontem illum furem ac perfidum nunc illaqueari volo; qui vbi primum hoc audierit, remque omnem agnouerit, continuo rediturus est, vt thesaurum diuidat. Codicillos etiam proferre audebit, quibus ita coheres scriptus est, Si aulam Querolo sine fraude ostenderet. Quid huic merito eueniat, nisi quod iam nunc fiet? Ferat quod facere voluit. nam quod fecit nostrum est.

QVEROLVS, ARBITER, PANTOMALVS.

QVER. O Arbiter, iamne credis, quod vidisti modo? ARB. Edepol credo & scio. QVER. Quid

tu, Pantomale, dicis? PANT. Quid ego dico nunc fieri vt posthac desinas? QVER. Mens mihi gaudio est confusa: quid primum stupeam & gaudeam? cōsilium ne senis nostri, an diuinitatis? ARB. In primis bonum diuinitatis. Nam si ad hominem respiciendum est, facile intellegitur & apparet, furem tibi plus profuisse, quam patrem. QVER. Quid de memet censes, qui tam tarde agnouerim fragmenta vrnæ illius, quam iamdudum noueram? ARB. Ego mihi non credideram, nisi quod ilico inspexi locum terramque motā: ante hoc non credidi. PANT. Atqui ego nihil dubitationis recepi, ibi in testulis quasdam litteras vidi. QVER. Ergo istæc omnia Mandrogerus ille fecit? ARB. Aut quid fieri aliud potest? QVER. O sceleratum hominem, magum mathematicum qui sese diceret! Egone manibus meis præsidium paternum vt efferrem de domo, ego memet domi ne conderetur, ego vt redeunti obuiarē thesauro? Hoc est plane, quod Lar familiaris prædixit meus, etiam renitenti ac repugnanti ventura mihi omnia bona. ARB. Quam pulcre factū est, vt cupiditas falleretur sic hominis fallacissimi! QVER. Credis, Arbiter meus, vt nosti mores munificos nimis? munerare hercle possim hominē, si nanciscerer: Ita ridicule sceleratus fuit, atque ipse sese lusit in omnibus. ARB. Ille quidem, vt scimus, male meruit perfidus: sed quoniam tibi per illum bene venerunt omnia, omneis illi bene optamus, facto, non merito suo. QVER. Attat quidnam est? Nisi fallor, Mandrogerus ille est e-

minus;

minus; quidnam ille hic reuenit? nouum credo aliquod præstigium iterum hac exhibet. Abi celeriter intus Pantomale, & fragmēta vrnæ illius hic ad nos exhibe. ARB. Placet hercle. QVER. O bone arbiter, fraudulento isti magnam iniciamus calumniam: thesaurum nostrum ab hoc ereptum poscamus modo, atque adstruamus, ab ipso nobis alienum mortuum esse coniectum domi. ARB. Consilium placet. QVER. Propositum ergo retineam. sequuntur cetera.

QVEROLVS, ARBITER, MANDROGERVS.

MAND. Aue mi Querole. QVER. Etiam salutas furcifer, quasi hodie me non videris? MAND. Vidi edepol te, visumque iterum gaudeo. QVER. At ego iam nunc viuo faciam ne tu iterum facias. MAND. Heo! quid commerui? QVER. Rogas scelestе? qui hodie domum expilasti meam. MAND. Missa istæc face: non sum alienus vobis: domum egomet istam iam pridem colo. QVER. Iterum ad magicas? aurum subripuisti hodie meum. MAND. Fortassis iure feci. nō debebatur & mihi? QVER. Pulcre edepol: solus exinde hic fui: vbinā mihi nūc tu frater nasceris, & nouellus & senex? vnde subito tam vetustus, qui nuper natus non eras? Nam si fratrem meū te esse adseueres, perdite, illud nunc restat, vt te dicas bimulum. Nam tertio anno pater meus ille Euclio cum est profectus, me hercle reliquit solum atque vnicum. MAND. Superflua sunt ista: cohęres ego sum, non frater tibi. QVER. Nō recte edepol fieri istud solebat. Nam mallem, amice, fratrem te quam co-

heredem eſſe aſſeras. MAND. Quid multis opus eſt, Querole? Quod ſcriptum eſt lege. Sume igitur: noui fidem veſtram. QVER. Hercle exploraſti. hem! quid iſtuc eſt? SENEX EVCLIO QVEROLO Salutem dicit filio. Quia furtum tibimet fieri metuerem, per ſeruum, vel per extraneum quemlibet Mandrogerontem fidelem amicum, & peregre mihi cognitum ad te direxi, vt is tibimet, quod reliqui, ſine fraude oſtenderet. Huic tu medium theſauri dabis, ſi fides ipſius atque opera expoſtulat. Hem, ſodes, paululum in parte huc ades. Nihil huic deberi res ipſa exponit & docet: Sed vſquequaque ſi placet in ſummam, ſi libuerit aliquid dabitur muneris. Tu igitur patris mei amicus ac ſodalis peregre fuiſti? MAND. Ipſa res docet. QVER. Nimirum inde iam fideliter nobis commiſſa iſtæc tace: Age amice, quoniam inſtitutus es heres, da quod poſſit diuidi. MAND. Edepol inueſtigaui, ac dedi integrum atque inlibatum theſaurum. QVER. Heo. tu mihi theſaurum aliquem dediſti? MAND. Tu negas? QVER. Niſi omnia in memoriam redigis, forſitã aliquid exciderit mihi. Quem tu narras theſaurum? MAND. Quem tibi Euclio reliquit; ego tradidi. QVER. Et aurum ad te quemadmodum peruenit, homo alieniſſime? MAND. Iocabar equidẽ, fidẽ equidem poſtea vt perſpiceres meam. QVER. Tu ergo theſaurũ & ſecretũ illud, quod noſter ſenex dereliquerat, abſtuliſti? MAND. Vtique hoc tibi ceſſit bene. alter enim nõ reddidiſſet. QVER. Age iam ſodes, ſoluiſti ſatis: reſtitue potius, verã

vt co-

vt cognoſcamus fidem. MAND. Dis gratias vicine Arbiter, quod ſpes noſtra in tuto eſt. Dixin paulo ante, facere hoc non potuiſſe extraneum? agimus gratias. QVER. Dii te ſeruēt, amicorum optime, qui & mihi ſuperſtiti & defuncto illi ſeruaſti fidem. Sed vbinam quæſo aulam illam cōdidiſti? Fiat plane, quod ille præcepit ſenex: exprome theſaurum, diuiſio celebretur, quoniam præſto eſt arbiter. MAND. Immo potius tu aurū exprome & fidem tuam, quoniam egomet partes explicui meas. QVER. Fatigas nos, Mandrogerus, an vere loqueris? MAND. Edepol vere loquor atque honeſte. Nam qui totum habere potui, partem peto. QVER. Ergo inter manus theſaurus fuit noſter? MAND. Fuit hercle. QVER. Tu nuſquam hodie pedem, niſi reſtitues, quod abſtuliſſe te fateris, quia ire infitias non potes. Heia, inquit, reſtitues quod abſtuliſti. MAND. Reddidi. QVER. Cui, quando, quomodo? MAND. Hodie per feneſtrā. QVER. Ha ha he. tu theſaurum vbi repperiſti? MAND Apud ędeis ſacras. QVER. Quo aditu extuliſti? MAND. Hac per iſtam ianuam. QVER. Quid igitur fuit cauſæ, vt per feneſtram redderes? MAND. Tu inquam theſaurum illum aſportaſti foras. QVER. Pulcre edepol conditionem codicillorum impleuiſti, qua præceptum eſt, vt theſaurum mihi ſine fraude oſtenderes. Verumtamen præſcriptionem hanc tranſeo, qua vti poſſum, etiamſi aurum nunc ipſe mihi traderes. Hæc ſuperflua ſunt, vbi res nuſquam apparet.

Redde quod negas. MAND. O tempora, o mores! o pater Euclio! hanccine mihi tu domi fidē prædicabas? Reddidi, fateor, omnesque per Deos, ipsumque thesaurum inlibatum intra ædes proieci tuas. QVER. O arbiter bone, plus iste admisit quam putabamus: hic, nisi fallor, ipse est qui vrnam illam funestam nobis proiecit in domum. MAND. Dii te seruent: ipsam ego proieci: tandem apparet veritas. QVER. Dic, quæso, Mandrogerus, fragmenta si aspexeris, potesne agnoscere? MAND. Ita, vt cōpaginari per me possint omnia. QVER. Hem, Pantomale, nescio quid paulo ante hic proferri iusseram. ARB. Præsto sunt partes illæ, in quibus titulus inscriptus fuit. QVER. Agnoscisne Mandrogerus? MAND. Agnosco hercle: tādem cessent artes & præstigia. QVER. Si verum agnoscis, lege celeriter quod scriptum hic fuit. MAND. Et legi & lego. Cedo hinc mihi, Pātomale, fragmentorum paginas: TRIERINVS TRICIPITINI FILIVS CONDITVS ET SEPVLTVS HIC IACET. QVER. Heo! scelestissime, dispicis? Si viuorum neglexisti gratiam, etiamne mortuis manus intulisti ad ludum & ludibria? neque contentus eruisse bustum atque cineres, vltimo per fenestram etiam funestas mihi proiecisti reliquias. Quid ad hæc dicis? Thesaurum abstulisti, violasti sepulcrum, perdite: domum meam non solum compilasti, verum etiam polluisti, sacrilege: tu negas? MAND. Quæso, quandoquidem me fortuna sic destituit, nihil quæro vlterius. vale. QVER. At ego hercle quæ-

ro,cui mala omnia congeſſiſti,ſcelus. Hem Pantomale, nunquam abſtoc pedem. Ego iam nunc vbinam Prætor ſedeat inueſtigabo celeriter, atque omnia iſtæc exequar iure & legibus. MAND. Quæſo,arbiter,pro me vt verba facias: nihil niſi veniam expoſtulo. ARB. O mi Querole, nunquam te celeriter vſque ad ſanguinem. Ignoſce ac remitte:hæc vera eſt victoria. QVER. Age,reliquiæ illius defuncti reconduntur, quid de theſauro fiet? ARB. Quid dicis, Mãdrogerus? MAND. Iuro per Deos,iuro per ipſam,quam rupi,fidem, mihi nec aurum,nec theſaurum eſſe. QVER. Remoue pauliſper inania: putemus nos paululum in iudicio ſtare: Ornam certe illam tu abſtuliſti. MAND. Factum eſt. QVER. Elige nunc, Mãdrogerus,vtrum voles, buſtum illic, an aurum fuit? quandoquidem cauſa eiuſmodi eſt, vt multis cõſtat modis. MAND. Auribus teneo lupum: neque vti fallam,neque vti confitear ſcio:vtrum dixero, id contra me futurum video. Dicam tamen: Aurum illic fuit. QVER. Redde igitur. MAND. Hoc iam factum eſt. QVER. Factum doce. MAND. Ornam tu recognoſcis? QVER. Quid vis vt reſpondeam? primum egomet aulam non recognoſco: ſatiſne hoc ſufficit? MAND. Quid? titulum non recognoſcis? QVER. Magis quam te, quem hodie primum hic noſcito: Sed finge nunc a nobis ornam & titulum recognoſci: redde quod in aula fuit. MAND. Tu autem quid in aula fuiſſe dicis? QVER. Ego interim non propoſui: tu fare quid velis. MAND. Et vos a me aurum quemad-

modum postulatis, cum res ipsa bustum & cinerem comprobet? ARB. Ergo acquiescit, vt bustũ illic fuerit? MAND. Adquiesco, quandoquidem ita sese res habet. Hac nõ processit; alia temptãdum est via. QVER. O stulte, sacrilegium confiteris, dum furtum negas. MAND. Quid si nihil illic fuit? QVER. Quidnam igitur postulas? aurum si fuit, abstulisti: si non sustulisti, non fuit. MAND. Vos quæso, dicite vicissim, quidnam illic fuit? QVER. Nobis interim sufficit purgare nosmet, obiecta repellere. Nam si te ingredimur temptandum via. MAND. Quodnam hoc monstri genus est? Ego totum feci solus: totum nescio. Iam iam quæso, quoniam mihi neque res neque causa superest, simpliciter dicite, vtrumne furtum, an sacrilegium ego commisi: nisi forte illud nunc restat mihi, vt qui furtum non potui, sacrilegium neque volui, vtrumque fecisse conuincar nefas. QVER. Etiamne circuitione rem geris? Quid aliud autem in causa est, nisi quod præsidium abstulisti & cineres abdidisti? Vnum fraudulenter, aliud nequiter. neq;. n. te bustum expetisse, aurũ abiecisse, credere quisquã potest. MAND. Optime totum hoc asseritur, & mihi ipsi verisimile videtur: sed si quid creditis, non est ita. QVER. Age, iam bono animo esto, nil præter sacrilegiũ perpetrasti: aurum autem ibi non fuit. MAND. Furtũ igitur non commisi: Dii te seruẽt: vicimus. Nam istoc ego tempore pœnam malo quam pecuniã debere. Sed illud quæso exponite, vnde tantum illic erat? QVER. Nescis, Magus, nihil esse grauius fortu-

fortuna mala? MAND. Recognosco. QVER. Etiã quæritas vnde pondus? tegmen illius vrnæ non vidisti plumbeum? MAND. Iam iam omnia sibi conueniunt: his præstigiis etiam certus falli non potuisset magus? ARB. Nondũ intellegis, inepte, impositum nobis esse ab illo, quem bene noueras? Vnde autẽ illi thesaurũ, homini prope pauperi? ac si habuisset ille, ergone iste secretum nesciisset patris, tibique ille indicaret, quod nõ crediderat filio? Porro autem paterfamilias ille thesaurum si sciebat, illi tãdem crediderat loco? tibique illic patuisset aditus. MAND. Edepol quid dicã, nescio. ARB. Ergo Euclionẽ tu nõ noueras? Habuit senex ille multa hæc lætissima, qui te etiã defunctus ridet. MAND. Edepol tandẽ intellego: illius plane hic nequitiã recognosco: frequẽter ille similib. me lusit modis. Quæso igitur date veniam, quod cineres illos abstuli: aurũ credidi. ARB. Bene excusas, Mandrogerus: agnosco plane Euclionis nostri sodalem: talẽ semper ille dixit senex. MAND. finite quæso me abire. ARB. He, Querole, humanum ac misericordẽ semper fuisse te scio: hominem tam elegãtem abire ne permiseris: non vnius officii homo est: magum mathematicumque hic habes: tãtum (quod primũ est) furtum facere non potest. Recipe, quæso, amicum veterem & nouum, quandoquidem pater Euclio solũ hũc tibi reliquit in bonis. QVER. Ha. sed furem timeo. ARB. Quid vnũ furem metuis? Iam totum hic abstulit. MAND. Quęso, Querole noster: patri egomet tuo me iam deuoueram: tibi nunc seruire cupio, quandoquidem

hodie ſic miſertus es mei: da victum, qui vitam indulſiſti. QVER. Si ambo ita voltis, fiat. Poteſne diſcere leges nouas? MAND. Ha ha he, illas egomet ex parte condidi. QVER. Senatus conſultum dico egomet Seruilianum & Paraſiticũ. MAND. Oe, viſne interdictorum capita iam nunc eloquar? Ad legem Porciam, Caniniam, Foriam, Fuſiam, conſulibus Torquato & Taurea. QVER. Poteſne obſeruare omnia? MAND. Iſtud apud me paruum eſt: tu nunc vt ediſcam iubes: ego docere iam volo. ARB. Hui. multarum palmarum hic eſt: Recipe, quæſo, iura inſtructiſſimum: talẽ quærere homines pro magno ſolent. QVER. Quoniam ita vultis, fiat: ſed vbinam illi ſunt, ſocii atque adiutores tui?

SYCOFANTA, QVEROLVS.

SYCO. Noſque præſto ſumus, o parens ac patrone. QVER. O Sycofanta, o Sardanapalle: hæc veſtra eſt religio? Sed cauſas iã hic præſtitit: vos abite quolibet. SYCO. Et noſmet ſcimus, Querole, quoniã TRIS EDACES DOMVS VNA NON CAPIT. Verum quæſumus, viatici nobis aliquid vt aſpergas, quoniam ſpem omnem amiſimus. QVER. Viaticum ego vobis? Quonam pro merito? SYCO. Nos cum Mandrogeronte huc venimus. QVER. Digna cauſa, mercedem vulnerum victus accipiat Paraſitus. In cõuiuio ſi fuerit veſte diſciſſus, a rege conuiuii duplam mercedem reparationis accipiat. De liuoribus in quadrantem ſolidi illius, de tumoribus in trientem pœna tranſibit: Quod ſi & tumor fuerit & liuor, ſo-

lidi vnius bissem iure optimo consequetur. Vnam vero vnciam aposiæ, hoc est excoctionis, contemplationis concedimus. Placuit autem, vt etiam de plagis & vulneribus infixis summo strepitu criminali amicorum pręstetur inspectio ita, vt dodrantem solidi nec inspicientium gratia, nec largientis excedat humanitas. In loxu autem & ossibus loco motis vsque ad deuncem solidi iniuriarum commodum placuit extendi. Iam porro de ossibus fractis placuit conuenitque, vt in minutalibus, solidus; in principalibus vero ossibus argenti libra protenus traderetur. Quæ autem vel principalia videri ossa debeant, vel minuta, medicorum tractatus inueniat. Si autẽ Parasitus amplius quam præfinitum est, postularit, plus periti periculo strangulетur. Rex conuiuii iniuriarum merita etiam voluntariis decertationibus cogatur exsoluere, ita vt præmium criminosi mercedem transeat vulnerati. In tãtum autem parasitis consuli iura voluerunt, vt si vulneribus adflictus contestata lite defecerit, hæredibus eius paterni laboris ac meriti præmia non negentur. Quod si parasitus quamuis tractatus incommode, tamẽ de malis suis intestatus occiderit, heres agere non poterit. Qui causas mortis non reddiderit, insepultus abiiciatur. Et hæc omnia sic constituimus, quasi inter hominũ liberorum & æqualium lasciuiens turba desæuiat. Nam si a patrono vel seruo patroni Parasitus cõtra leges pertulerit iniuriam, habebit fugiendi liberam potestatem. FINIS.

HIERONYMVS COMMELINVS
CONRADO RITTERSHVSIO I.C.
S. D.

Gratum acceptumque habemus, Rittershusi amicissime, Querolum tuum cum D. Ioachimi Camerarii MS. collatũ. quidni enim tuum vocemus, quẽ quasi postliminio ab ipso reuocasti orco? certe primus Germano cõmunicas Orbi? Cui ne parum videamur habere honorem, en tibi redhostimentum, alterum Querolum ex tuo illo natum, & iam recens a nobis in lucem editum, diuerso tamen a parente habitu. Videsis, mi Rittershusi, quum nomen illud odiosum sit, ne hic noster recens educatus, vt est apud Teium, πάλιν κύῃ καὶ ἄλλον. Vale, & in Querolo nostro horula vna te oblectato.

VITALIS GALLICVS BLESENSIS DE QVERVLO.

ARGVMENTVM.

COMMITTENS ollæ fragili Queruli pater aurum,
Fecerat in titulo funeris esse fidem.
It peregre. Seruo moriens secreta recludit.
In Querulum rediens cogitat ille dolum.
Fit magus. vtq; domum Queruli expiet, hanc subit. olla
Tollitur: in titulo fallitur: ossa putat.
Redditur: iniicitur laribus: confringitur: aurum
Fundit. adest Querulus; fusa talenta legit.
Mentitur seruus, quod reddidit vltro: fidemque
Inuenit in fraude. creditur. acta placent.

PROLOGVS.

QVI releget Plautum mirabitur altera forsan
Nomina personis quam mea scripta notent.
Causa subest facto. vult verba domestica versus:
Grandia plus æquo nomina metra timent.
Sic ego mutata, decisave nomina feci
Posse pati versum: res tamen vna manet.
Arguet hoc aliquis, mea si comœdia fatum
Nominet, & stellas, & canat alta nimis.
Desciuisse ferent, humilemque ad grandia stulte
Euasisse stilum. crimina Plautus habet.
Absoluar culpa. Plautum sequor: & tamen ipsa
Materiæ series exigit alta sibi.

Hæc mea vel Plauti comœdia, nomen ab Olla
Traxit. sed Plauti quæ fuit illa mea est.
Curtaui Plautum. Plautum hæc iactata beauit.
Vt placeat Plautus, scripta Vitalis emunt.
Amphitryon nuper, nunc Aulularia tamdem
Senserunt senio pressa Vitalis opem.

Explicit Prologus.

IRATVS fatis Querulus causatur iniqui
Nominis auctores & dolet esse deos.
Et quid, ait, voluere Dei cum temporis ortu
Informem in formas distribuere globum.
Scilicet expositos fatis vt sortis amaræ
Vreret asperitas, dētereretque labor.
Naturæ gremio melius sopita iacerent
Omnia, & in sterili matre sepulta forent.
Nunc labor æternus æterna angustia cunctos
Decoquit, vt curent esse, nec esse velint.
Cunctis o vtinam sic sors tolerabilis esset.
Sors mala si fuerit omnibus vna, placet.
Damna minus lædunt si sint communia. sed cur
Iurauere omnes in mea fata Dei?
Natus ego vt quererer, semper Querulusque vocatus,
Vt viuam querulus & mea fata querar.
Mira mei video præsagia nominis: audis
Nomen, quæ mea sint fata notabis eo.
Sum miser atque meo mea nomine nomino fata,
Asperitasque noui nominis omen habet.
Res sequitur nomen, an nomen ab omine duxi?
An causam nomen ominis esse rear?
Vixissem infelix etiam si Iulius essem.
Aspera mutato nomine fata manent.

Hoc

Hoc quoque miror ego quod cum caput exero tectis,
Ecce meum quovis nomen in ore sonat.
Sibilat in Querulum plebecula meque secuntur.
Sustineo inuidiam nominis esse mei.
Quæ male conditos paulatim venit in vsus,
Nomina cum natis imposuere patres.
At quanto melius simul ac adoleuerat ætas
Nomen ad arbitrium sumere quemque suum.
Qui modo sum Querulus angusti nominis heres,
Plato vel Socrates, Pythagoras ve forem.
Odi Pythagoram, quia carnibus horruit vti,
Et sibi cognatam credidit esse suem.
Quam varios hominis mens conscia quærere verum,
Edidit errores: vera latere volunt.
Iupiter his hominum suspendit pectora curis,
Ne foret ex aliqua parte beatus homo.
Ausus in arcana naturæ erumpere Plato:
Vnum deprendit, & docet esse Deos.
Unde necessarii seriem cum duplice fato
Ordinis intexens dedocet esse deos,
Et fatum fato sic explicat, vt licet insit
Ordo necessarius, omnia casus agat.
Atque iterum fato fatum sic explicat, vt sors
Ipsa necessaria lege cohartet iter.
Ergo necessario Querulus miser, & nequit esse
Non miser, huic sectæ si sit habenda fides.
Somnia Platonis innexa ambagibus odi
Dum studuit canere non capienda mihi.
Hoc vnum placuit, Turbam negat esse deorum:
Utile quod docuit sit licet, error erit.
Viuit homo superis, & iam sibi nemo laborat.

Sis diues, cole tot numina, pauper eris.
Stulta hominis pietas gaudet ſeruire creatis
A ſe numinibus, & facit eſſe Deos.
Horret opus manuum, queriturque quod imperet illi,
Neſciat infelix viuere liber homo.
Hoc lare bina lari ſunt data altaria quondam,
Fortunamque laris fecimus eſſe Larem.
Ex tunc irata eſt nobis Fortuna deoque
Ipſi, pro miſeris nil facit illa Deis.
Mane tamen primo, Dona Lar ſancte, rogamus.
Neſcio quid donet: nil habet ille ſibi.
Lar datus eſt tutela Lari, malus eſt mihi tutor,
Quem male ſi tuear, non bene tutus erit.
Qui tutoris eget, miſere commiſſa tuetur.
Si mihi Lar Deus eſt, cur eget ille mei?
Si ſapient homines, mendicet turba deorum.
Ordine conuerſo numina paſcit homo.
At certe deberet homo Deus eſſe deorum.
Ille Deus Queruli eſt, qui bene paſcit eum.
Lar alium tibi quære larem, nil mi dedit vnquam,
Nec dabit humanæ relligionis opus.
Prodigus ad ſumptum ſuperis pater extulit aras,
Extulit & tumulos oſſaque fouit aui.
Funeris omen erat. domus eſt damnata ſepulchro,
Funereæque domus omina ſortis habet.
Quid valuere ſuis ſuperi cultoribus, audi,
Ille Deum cultor maximus, exul obit.
Si quem felicem vis dicere, conſule finem:
Nemo prius felix, quam morietur, erit.
In lare ſeruus edax Querulum premit inuidus extra.
Sic venit ex omni ſors mala parte mihi.

Quam male Pantalabum Querulo sors inuida iunxit!
Sum per enim Querulus: quod querar ipse facit.
Pransus habet causam mecum cur sit pede nudo,
Tamquam sim sibi,non mihi natus ego.
Venter inexpletus cuiuis iacet aequus aceruo.
Crescit edendo fames: dat cibus ipse famem.
Consului medicos,medici dixere bolismum,
Scilicet esuriem quae solet esse canum.
De consumptore medici fecere voracem.
Perpetuam peperit addita cura famem.
Exitus hic artis medicae est, Si quid male sentis,
Accede ad medicos,protinus aeger eris.
Vltimus hic miseris sortis gradus, vt sine furti
Culpa,nullius spes sit habenda lucri.
Sic igitur seruo,sic indignatus & ipsis
Numinibus, Querulus omnibus hostis erat.
Lar aderat laturus opem: sed tristia fata
Qui lenire cupit asperiora facit.
Qui damnat mala fata placet,qui lenit acerbat.
Irritant animos fortia dicta graues.
Viuat ait Querulus. viuat responderat alter.
Inuisa peius nil dare sorte potes.
Sors mala tunc peior si sit prolixior,illa
Si breuis est,aliquid prosperitatis habet.
Sors miseros ditat, & fato sata quiescunt.
Viuere da misero,sit magis inde miser.
Non ita,Lar inquit,vera est sententia,ni te
Esse putes miserum,non miser esse potes.
Non faciet casus miserum, sed opinio falsa.
Si constes animo,casus inermis erit.
Insanire doces hominem quae monstra videres

Si sese miserum nesciet esse miser.
Qui miser est, errat si se putat esse beatum:
Nec quisquam ignota sorte beatus erit.
Ne mea verba frequens turbet responsio. namque
Qui tacet est melior dicere disce tacens.
Fac rogo ne dicas, preme voces, vtere rebus:
Exibeas opere quod ratione doces.
Multa quidem dixere Dei: sed pauca dedere.
Quam facile est cuiuis dicere, facta grauant.
Ordinis æterni series angustat & arcet,
Res Iouis edicto quæque iubentur eunt.
Ordinis est ordo qua mentem respicit eret,
Qua resolutus abit. vt moueatur habet.
Implicitum mentis ratus explicat ordo. vagatur
Hac errore vago, nec sine lege meat.
Sic plicat implicitum, sicque explicat ordo beatus
Cuncta beans misere, quod locus omnis abest.
Nunquam rebar ego quod Lar Platonicus esset.
Qui docuit superos Plato beatus erat.
Si teneat res quæque locum feliciter errat.
Sed quid erit miserum si tenet illa locum.
Quo tibi plus medeor, ægrescis durius inde:
Vtque magis doleas nostra medela facit.
Arte manus medicæ crescit dolor vt minuatur.
Quo magis vrgetur & minus vlcus obest.
Sors tibi mutatur vt tu muteris & illi:
Quoque tibi placeas displicet illa sibi.
Protraxit miseros fallax promissio diuum,
Nec rata, nec stabilis, nec bene digna fide.
Vt sua dent homines semper sperare iubentur,
Donec spem vanam res male lapsa probet.

Reddere

Reddere letus erit hilaris promissor, & audax
Ad promissa parum credulitatis habet.
Exierat Lar a laribus Querulumque querentem
Questibus exponit, cesset vt inde queri.
Decrescit dolor ad gemitus, sed clausus abundat.
Plus iræ quotiens clauditur ignis habet.
Edomitus longo Queruli pater orbe viarum,
Vrgebat Lachesis in sua fata manum.
Mortem inuitabat adiuta labore senecta.
Proxima mors seruo credere cuncta iubet.
Seruus adest, dominumque senem circumuenit, ambit,
Palpat, & officii sedulitate capit.
Non quod amet, sed vt emungat. sic scilicet e re
Secretoue aliquo non bene seruus amat.
Assedit. Dominus, nosti mi Sardana, dixit,
Quod tibi non Dominus sed pater ipse fui.
Non volui, vt solitum est dominorum vulgus, abuti
Imperio in seruum, nec mihi seruus eras.
Ergo quidem merui quod tu deuotior esses,
Vtque tot empta mihi sit tua firma fides.
Cum sit opus certave fide, studiove tenaci,
Secretove alto, collige cuncta scies.
Æde mea qua parte Laris premit angulus aram,
Olla fidelis habet mille talenta mihi.
Damnauit misero me sors herede parentem:
Nec quisquam peior filius esse potest.
Non equidem timui natum quod prodigus esset:
Sed quoniam temere quod gerit ille gerat.
O vtinam sciat ille tenax aut prodigus esse;
Cum sit vtrumque malum, non mediocre iuuat.
Cum vicium sit vtrumque, tamen nos vtimur illis.

Nullus amicitias, vrget auarus opes.
Vrget mærorem commissa pecunia stultum.
Paupertas cohibet dum caret inde sapit.
Quæ vetat expleri res paruula displicet error
Copia stultitiam quam parit illa placet.
Euasit Querulum commissa pecunia terræ,
Atque fide nati tutior olla mihi.
Nos peregrinantes iam septimus inuenit annus.
Absumus a patria: tarda senecta nocet.
Heu miror talemque locum mihi funeris esse:
Nec de communi conditione queror.
Lex ea naturæ, solui sociata necesse est:
Dispensat sedem funeris ira deum.
Dulce mori in patria, dare dulcibus oscula natis,
Sortiri heredes, ponere cuique suum:
Coniugis illabi lacrimis humerisque parentum:
Ignibus imponi matre tenente facem.
Funeris hic ordo est: hæc sunt solatia mortis,
Si non pulchra satis, qualiacumque tamen.
Sardana te solum mihi sors irata reliquit,
Meque tuo officio mater habebit humus.
Mordeor heredis cura, quo viuat honestus,
Quod per eum vita nostra superstes erit.
Quo minus est sapiens caui studiosius illi,
Et caueo. pietas me iubet esse patrem.
Forsitan vt saperet & doctor, & vsus, & ætas
Impulit, & super hæc ingeniosa fames.
Si neque sic sapiat, melius perdetur in illo
Res mea, quam lateat diuite semper humo.
Res eget indicio, teque indice filius heres.
Mille talenta feret: tu tibi sume decem.

Seruitii

Seruiciique iugo te libero: liber abibis.
Sardana qui fueras, amodo Paulus eris.
Sardana liber eas, & eas feliciter oro:
Et mihi quanta tui, sit tibi cura mei.
Hæserat in lacrimis. fletu mentitur amorem
Sardana. flent ambo. gaudet hic, ille dolet.
Excipit vrna senem. turbatur funeris ordo.
Impercurato funere seruus abit.
Quam male seruus amat! timor absit, cessat amare.
Non amat vt timeat, sed timet hic vt amet.
Ære superbit heri, spes Sardana concipit amplas.
Iam liber, iam non Sardana, iamque suus.
Quam male diuitiæ serui famulantur in vsum.
Seruus enim locuples aspide peior erit.
Dum reducem tenet ille viam spaciumque locumque
Sufficit, hoc sibimet consulit ille modo.
Sardana sorte noua felix felicius aude:
Spes noua sors renouet, ampliet ampla tuas.
Res angusta vetat ne quis sublimia speret.
Res senis accessit, re fuar. ille iacet.
Et iacet, & iaceat. certe nil æquius æqui
Dispensant superi, quam quod auarus eget,
Vixerat ille mihi. bene temperat omnia fatum,
Proderit ille alii qui suus hostis erat.
Gaude quisquis eris, ne post te gaudeat heres.
Vtere quas nutris, alter habebit opes.
In locuplete domo Querulus mẽdicat, & aurum
Non sibi custodit, non sibi diues eget.
Dum potuit pater esse pius, fuit impius illi:
Seque pium perhibet dum nequit esse pius.
Ad libitum partitus opes, de mille talentis

Particulæ heredem me iubet esse senex.
Non bene partitur. sed non sum Sardana, si non
Emuncto Querulo mille talenta feram.
Quem timuit violare senex sacratus aceruus
Non cadet in partes. frangere sacra nefas.
Læsa fides confert, solis est æquus iniquis
Iupiter: & superos qui timet, ille perit.
Decipiet Querulum mentiti nominis error.
Non vltra dicar Sardana, Paulus ero.
Paulus ero: Pauli Romani consulis heres.
Sub titulo Pauli Sardana clarus erit.
Cognita vilescunt. qui non est notus amatur.
Vt sis ignotus hoc age, carus eris.

LIBER II.

REDDIDERAT *patriæ seruum lux septima. noscit*
Quod cupit esse piger. spes bona posse facit.
Excipit ignoti noctu domus hospitis illum.
Sardana sollicite ne videatur, agit.
Se studet esse alium, naturamque alterat arte.
Quaque iubet facies & color oris eunt.
Lasciuit nutrita diu coma iussa vagari,
Atque humeros ausa lambere, colla tegit.
Descendunt humeri, ceruixque elata laborat
Altius educta iussa tenere caput.
Pectoris ille modus solito propensior exit.
Auro mendaci dextra superba nitet.
Empta senis spoliis noua diuite vestis amictu
Luxurians membra luxuriare iubet.
Sardana iam dubitat vtrum sit Sardana, seque
Forsitan ignoret, si sinat ipse sibi.

Romani genus & linguam præponit Achiuæ,
Interdum quadam barbara verba sonans,
Non intellecta diis & mortalibus audet
Fingere. plus ideo credulitatis habet.
Gnathonem Cliniamque dolis conuenit amicos,
Per quos dispensat quem parat ille dolum.
Vos, ait, elegi quos contulit vsus amicos,
Ut mea per vestram cura leuetur opem.
Propositumque modumque sequar. modus altior alter
Si fuerit, vestra calliditate fruar.
Morte pater Queruli victus, suprema fateri;
Æde mea, dixit, mille talenta latent.
Portio prima tibi centesima fiet acerui.
In Queruli iura quod superabit eat.
Sed potius peream, potius ferat ille vel alter
Quam Querulus studio cesset egere meo.
Nos ad opes nos inuitat fortuna; sequamur.
Ad lucra perfacilem præbuit illa viam.
Quod putat oblatum, ne post de sorte queramur.
Unde parentur opes quæstio nulla mouet.
Nunquam deterius furtiuum venditur aurum:
Partaque legitime non magis æra nitent.
Fortunam Querulus questuque odioque fatigat:
Deque sua sorte non sinit ipse queri.
Quilibet impatiens miseræ mala sortis acerbat,
Sors, male si pateris, fiet acerba magis.
Fingite me talem quem sors audire minantem
Horreat, & magica qui sit in arte potens:
Qui piet aduersam sortem, quique imperet astris,
Carmina qui superis imperiosa facit.
Credulus est Querulus sub nomine sortis iniquæ,

Exibit nostra nobilis olla manu.
Sed tamen & caute; quia fraus nisi fraude tegatur,
Nulla valere potest: ars perit arte carens.
Qua maris vnda furens angustat Palladis arces,
Alter; ab aduerso dirigat alter iter.
Ante domum Queruli gressus sic temperet alter,
Et quasi festinus obuiet alter ei.
Aduenisse magum dicatur ut audiat ille:
Arte tamen, ne res arte putetur agi.
Res caret illa fide quæ præmeditata videtur.
Impræconsultum dicere vera putant.
Gnatho Sat est dixit, summam dixisse; nec vltra
Gnathonis virtus vt doceatur eget.
Rem teneo. si qua melior via, singula promat,
Nec superest nostræ deligat artis opus.
Sardana dum tribuant Gnathonem posse mereri,
Et quos participes ad tua lucra vocas:
Dum Querulum elicio domibus, tu sedulus ipse
Quem te mentimur vt videaris age.
Fortunæ ludo respondeat. ora coaptes
Assimilatiuis fallere dicta modis.
Sit persona magi, Romani lingua, potentis
Vultus, philosophi sermo, studentis opus.
Præsentet numeros abaci tibi pagina mendax,
Et coram libros vt studiosus age.
Derogat hoc fidei, male cum sibi facta cohærent.
Non tam vera fidem quam quasi vera iuuant.
Sardana sublimi solio, Gnathone ministro
Tollitur, occultus interiore domo.
Castigat, formatque hominem. Sic ergo loquaris:
Sic tibi sic Querulo, sic mihi, sic aliis.

Pauca

Pauca loquaris age. qui garrit, ineptus habetur.
Qui sapit, ille parum garrulitatis habet.
Interdum cartas oculis ita respice binis,
Ut totum ex cartis te putet ille loqui.
Scripta fidem firmant: commendat pagina verum.
Falsa putabuntur quæ sine teste geris.
Tu quoque, mi Clinia, qua muros vrbis & arces
Palladis angustant æquora, carpe viam.
Hac breuiore via gressus dimetiar. ista
Mecum discutiam, verba stupentis erunt.
Occurres, & quid stupeam cognoscere quæres.
Celabo: orabis. dissimulabo, premes.
Irascar, magis instabis: iurabo, minabor:
Tuque magis iures, & magis adde minas.
Litis erit species. Querulus tunc litis amator
Postibus herebit singula nosse volens.
Acrius insistes. prece tunc quasi victus amica,
Ut secretum habeas, tutior esse volam.
Nec dubita iurare deos: hic est modus ille,
Hac via qua Querulus decipiendus erit.

LIBER III.

DICTA *placent. Clinia sequitur dispendia. Gnatho*
Ad tectum Queruli rectius vrget iter.
Mentiri sua fictitium iubet ora pudorem,
Et quæ sunt stupido consona verba facit.
Nunc vocem, velut audiri timeatque velitque,
Tollit, nunc humili temperat ora sono.
Non vna natura manu mortalia quæque
Emetitur ait, hæc premit, illa beat.
Excoluit natura hominem studiosior omni
Dote bona: circa cetera pigra magis.

Nec genus humanum studio pensauit eodem.
  Nos probitate illis illa perire dedit.
O regio felix hominum, cui gloria cessit!
  Regna tulit mundi Roma beata viris.
Quam bene Roma potens, & quã male Græcia pauper.
  Semideos homines Romulus orbis habet.
Certe credibile est Latios genus esse deorum,
  Seque suis faciles exposuisse Deos.
Cur vel Aristotelem, vel quid Platona veremur?
  Non tulit huic similem Græcia tota virum.
Tam ventura canit, quam quæ fluxere vel instant.
  Scit melius Ioue quid Iupiter ipse velit.
Nil improuisum pensauit Iupiter vltra.
  Sic genus Æneadum comprobat esse Deûm.
Hæserat ad postem Querulus iam semiclusum.
  Ne taceat Gnatho, denuo claudit eum.
Et quid, ait, sibi vult quod ad omnis oris auari
  Gnatho, nescio quem comprobat esse probum.
Vix ego credideram quod posset vel semel hostis
  Humani generis præter inepta loqui.
Quo pacto linguam sic castigauit & ora
  Quoslibet obprobriis docta notare nouis.
Dedidicit praua, vel munere victus amico,
  Vel quod ego melius, fuste minisque, putem.
Prouocat vt lædat qui dat nebulonibus. vrge;
  Laudabunt. acuunt dona; flagella domant.
Quicquid commendat, ego commendabile credam.
  Laus plusquam vera quam dabit hostis erit.
Gnathonis Clinia mensus dispendia cursu
  Tempestiuus adest, & iuuat arte dolum.
Dic, ait, o Gnatho, quis sit quem laudibus effers,

Et

Et cur Romanum nomen ad astra feras?
Egregium ne aliquid fecit Romana iuuentus,
Quo sibi perpetuæ munera laudis emat?
Scilicet huic curæ, respondit Gnatho, vacamus.
Longe alia in nostro pectore cura sedet.
Nec mala me Romana iuuant, nec prospera lædunt,
Nec moueor damnis, non mihi læta placent.
Sunt secreta mihi: secretaque dicere non est,
Quorum participes contigit esse Deos.
Instat ei Clinia: Dic optime, dic precor, inquit,
Et secreta refer, vtile si quid habent.
Teque tuo partire tibi; nec te mihi cura.
Alteret iste Deos quos negat vnus amor.
Nulla hominem fortuna beat nisi consciat alter.
Tectaque lætitia gaudia nulla parit.
Si sit opus præcone, tubas & cornua vincam:
Si taceo, saxa: quæque iubebis ero.
Gnatho refert, nec homo sibimet, satis esse fidelem,
Sæpius esse potest, nec satis esse tenax,
Sæpius obliti quædam dixere tacenda:
Et nimius linguæ perdidit vsus eos.
Effluet in medium male res commissa duobus,
Ni taceat. linguæ prodigus alter erit.
Si res ista parum, vel si nihil vtilis esset,
Forsitan ex facili vel tibi dicta foret.
Vtilitas iubet vt taceam, mihi contigit vni.
Commodus ipse mihi nec meus hostis erit.
Quod cadit in partes, minus & minus vtile fiet.
Quo maior numerus, & minor vsus erit.
Maior, ait Clinia, subrepsit amice voluntas,
Vt tuus inuenti sim comes ipse tui.

Dissimulat Gnatho tanquam discedere vellet.
Hic rogat, ille negat: hic abit, ille tenet.
Aut dimittis ait, aut est Gnathonia virtus
Per caput atque humeros experienda tibi.
Nec minor est virtus Cliniæ, responderat ille.
Expertus Cliniam vel semel, horret eum.
Sed quia nil facio precibus, nec cogere nostrum est:
Non lite me vincis sed prece, Gnatho refert.
Mira animi natura mei, vis viribus uti,
Nesciet audire: vis prece, mollis erit.
Nec labor Herculeus, nec Cæsaris ira moueret,
Quem vel continuo lenia verba mouent.
Ut tibi iam referam quæ me fortuna beauit,
Ut secretum habeas tutior esse volo.
Ætheris ille Deum, natumque Coronide iura,
Quo nullum maius Græcia numen habet.
Erigitur Querulus, & postibus applicat aurem,
Totus in auditu, ne sibi verba labent.
Seria res agitur, dixit, garrire paratus
Cuncta vel inuito vix prece cessit ei.
Ergo scies Clinia, subiecit Gnatho, quod omni
Numine prosperior sors mihi scire dedit.
Huc absiste tamen, ne postibus hæreat ille
Qui rem furtiua subbibit aure sibi.
Hærentem Querulum prouiderat ille reductus
Destituit a poste versus vterque latus.
Scis, ait, o Clinia, quam me male pressit egestas,
Quam male, quam longo tempore finis erit?
Finis adest duris: etiam si vellet egere
Non vltra Gnatho posset egere tuus.
Obtulit huic vrbi noua [illegible] hominemve deumve

Nescio

Nescio. paret homo corpore, mente Deus.
Non voluit natura hominem tot tantaq; scire.
Quid pensent cæli numina nescit homo.
Seruit ei cælum, fatorum strennuus ordo
Expectat quod eum currere cogat iter.
Iste Iouis mentem nouit Ioue certior ipso:
Quid pensent superi, quid noua fata parent.
Castigat mentem Iouis. inuito Ioue multa
Esse iubet. sic est Iupiter ipse Ioui.
Nec magus, at magicæ magis est ars ipse putandus.
Ars nihil huic, sed vt ars ipsa sit iste facit.
Nec nouit tantum quid cras respondeat, aut quid
Vicinum præsens alliget hora sibi:
Sed semota magis quid cogitet hora: quid annos
Differat in mille Iupiter ipse tenet.
Quid te plura moror? Si secula nostra deorum
Essent, hunc Gnatho crederet esse Deum.
Carminis ignota virtute potentis iniquam
Expellet sortem qualibet ille domo.
Nec damnata semel volet aut erit ausa reuerti,
Sed domus æternæ prosperitatis erit.
Huc rapiebar ego, quia vis in munere magna est,
Vt quouis empto munere venit eum.
Sumit amicitiæ virtus in munere vires,
Lingua fauet donis. munera peius eunt.
Scire velim causamque viæ patriamque, viriq;
Nomen, ait Clinia. Singula Gnatho refert.
Paulus ei nomen, & Paulo consule natus
Nobile sublimat nobilitate genus.
Summa Deum sedes, magnorum patria regum,
Roma sui ciuis prouida misit eum.

Vt doceat Græcos, & vt vltra debeat artes
Græcia Romanis. debet & vltra duces.
Exarsi, Clinia respondit, amore videndi.
Sors bona Romanum numen adesse dedit.
Si tibi dulce meum quicquam fuit, aut erit vnquam,
Vel saltem vt videam, fac rogo, Gnatho refert.
Nulla erit inuidia. sed nunc volo gaudia penses
Æui felicis, quæ noua fata dabunt.
Cum numerus comitum, cum nos gemmata verendos
Purpura reddiderit, reddideritque nouos.
Risus erit noster; erit ammiratio plebis.
Si cuius crescit copia, crescit honor.
Vrget eum Clinia. Gnatho concessit. abibant.
Fortuna Querulus hac ait vtar ego.
Prosiliit, & præcipitem tulit impetus illum
In caput: offenso voluitur ille pede.
Gnatho suo Cliniæ ridens, ait, Omen habemus.
Concidit in laqueos præda petita meos.
Gnatho mane, clamat Querulus, mi Gnatho maneto.
Dissimulat. cursu concitus æquat eos.
Et dextra Gnathone manu, Cliniaque sinistra,
Arreptis, orat, multiplicatque preces.
Me quoque participem non inuideatis amici,
Cui mea calliditas omnia scire dedit.
In Cliniam Gnatho vultu conuersus atroci,
Dixerat hoc, Clinia pessime, Gnatho tibi.
Ve tibi Gnatho miser, tibi cum fortuna laborat;
Prospera Gnathoni cum cupit esse nequit.
Impedio mea fata miser mihi maximus hostis.
Hæc Cliniæ peperit damna nociuus amor.
Et quis, ait Clinia, sibi talia furta timeret?

Nec

Nec nocet adiunctus tertius iste comes.
Non nocet? heu facinus! in te cadat ira deorum.
Hac ratione comes quartus adesse potest.
Scilicet in turbam latius miracula fundet
Credita vix pretio, vix prece dicta tibi.
Omne bonum Querulus splendescit clarius, inquit,
Illius quotiens fusior vsus erit.
Effuge dira lues hic ad prouerbia natus:
Verborum ambages ad maledicta vomit.
Gnathonis Clinia sermonem mordet amarum:
Cur ait obiecto crimine lædis eum?
Noster hic est. parce saltem mihi si miser iste est
Mutauere breui tempore fata viam.
Accidit audiri quæ diximus, accidat vti.
Forsitan his fiet vtilis ipse comes.
In turba nullus fastidiet esse magister.
Quo plures aderunt & sibi maior erit.

LIBER IIII.

Placato Gnathone domum quam Sardana seruat
Iunctus et Querulus præda comesque præit.
Sublimi solio residentem Gnatho salutat:
Paule tibi, dixit a Ioue manat honor.
Ignotam notæ confundit Sardana linguam,
Verbaque duplicia more bilinguis ait.
Consedere procul pro maiestate verendi
Nominis, & tacitos numinis horror habet.
O iuuenis iam fata sequar tua, Sardana dixit,
Iamque artis patiar prodigus esse mea.
Vt mage te noscas, Querulus tibi nomen, iniqua
Fata: fames seruat atria: patre cares.

Pantalabus tibi seruus edax & inutile monstrum:
Qui satur esuriat, qui sit & ipsa fames.
Extremam primamque domum, geminæ Laris aræ
Impediunt. totus lar vacat ille Lari.
Ergo larem totum sibi Lar possedit, vt esset
In lare prosperitas si foret ara Laris.
Lar nihil est. finxere Deos trepidantia corda.
Aut miser aut felix Lar erit arte mea.
Quem nudam victura domos vestit Laris aram
Terra tumet modicum pessimus ille locus.
Pessimus ille locus diis detestabilis ipsis:
Quem timeat vel Lar, si sit & ipse Deus.
Iam genesin deprendo tuam, vel quod tibi signum
Accidit; aut vel quid mundus in astra tulit.
Humidus Ægoceros qua linea solstitiorum
Præcipitat Cancrum, primus agebat iter.
Rex Orientis erat, quem Fenona dicimus. illi
Scorpius in cauda spiron adesse dabat.
Fatontem sol retrogradum vibratus agebat:
Et Venus a Libra pulsa iacebat hebes.
Sic tibi nascenti cælum responderat iram
Mortis, & infelix Fenonis omen habes.
Vim facio stellis: castigo carmine fata.
Omnia gaudebunt arte piata mea.
Diuino Querulus stupet & putat ore loquutum:
Et tibi sum melius quam mihi notus, ait.
Sed rogo te Paule, Romanæ gloria gentis,
Arte tua Querulus desinat esse miser.
Obsecrat hoc Clinia, Gnatho submissus adorat:
Insistit Querulus. vincitis, inquit eis:
Vincitis, & faciam sint hæc miracula prima,

Quæ Latius Graio Paulus in orbe dabit.
Vt celebris Graium currat mea fama per orbem,
Paulus & in vestro floreat orbe potens.
Tu tamen, o Querule, quæ nunc ego dicto verba,
Tuque simul Clinia, tu quoque Gnatho, tene.
Carmina vim perdunt postquam confunditur ordo.
Imperium verbis demit adempta fides.
Ordine carmen eget, & credulitate iuuatur.
Hæc nobis species credulitatis erit.
Pes præeat, dextra nec tangat limina cuncta.
Iussus agat Querulus; nec nisi iussus agat.
Gnatho verba meo prolapsa resuscitet ore;
Attollatque sonum carminis illa mei.
Nesciat hoc vel Pantalabus, discatve tacere.
In dubiis rebus quilibet omen habet.
Surgitur, & studii mentita volumina vultum
Ausa est Gnathonis tangere sacra manus.
Tollere iussus erat Querulusque præambulus hostes
Vtiliter stultus ad sua tecta vocat.
Ostia prima patent. prece Sardana limina munit,
Adiuratque Deos, signaque ponit humi.
Stare pedes, cessare manus, atque ora silere
Innuit vt iubeant. Gnatho sibique iubet.
Deiiciunt vultus, & toto corpore parent:
Talis in hypocrita est relligione color.
Limine munito, ficta prece Sardana clamat,
Vt dextrum laribus intulit ille pedem.
Omen in æde bonum dixit. quem Gnatho sequutus
Intonat exclamans, Sors inimica fuge.
Sors inimica fuge, subiecit Sardana. Gnatho
Excipit exclamans, Sors inimica fuge.

Per dextrum leuumque latus, circumque supraque
  Sardana vestigat quo latet olla locum.
Deprendit spacium, terramque a cornibus aræ
  Metatam longe præcipit ille fodi,
Ne vel relliquias tumulatæ sortis iniquæ
  Non circumquaque fossa reseruet humus.
Impegit terræ Gnathonia dextra ligonem:
  Et tellus Cliniæ viribus icta gemit:
Sardana, mi Querule fac istis arca paretur
  Si vacua est: si non, euacuetur, ait.
Immo, inquit, omnis; nisi forte quod aere plenũ est,
  Esse neges vacuum, plenaque cuncta putes.
Nil vacuum est leuitate sua, circumfluus aer
  Non patitur vacuum vel semel esse locum.
Ut nullum excludit, ita nulli excluditur aer;
  Sed meat occultis corpora cuncta poris.
Nescia densari facit hæc substantia nullus
  Aeris vt teneat plusve minusve locus.
Nec fugit apposito, nec adempto corpore abundat.
  Res vrgetur. adest arca. paratur opus.
Ne videat Querulus auertitur. excipit ollam,
  Arca seratur. eam ferre iubetur. adest.
Elatam a Querulo, Gnathonis eam Cliniæque
  Excepere manus. Sardana monstrat iter.
Monstratũ rapiunt. Querulum quid restet agendum
  Instruit & breuibus ne mora lædat eum.
Sic ait: Hinc procul omne malũ est, & sors mala fugit.
  Non erit vlterius illa timenda tibi.
Attamen admoneo, Claude ostia, claude fenestras,
  Obice liminibus robora, pone seram.
Si qua patet Phœbi radiis, hanc obstrue rimam:

Ut

Ut vel Phœbo aditum rimula clausa neget.
Armatus defende Larem. si quid strepit usquam,
Huc ades, & clames, Sors inimica fuge.
Importuna lares volet illa reuisere notos:
Ergo hæc continuis quinque diebus agas.
Iussa facit Querulus. Gnathonem Sardana cursu
Assequitur. relegit deuia, turbat iter.
Ut satis esse procul, tutas satis esse latebras
Promisere, sedent. terra recepit onus.
Olla tenetur eis, titulumque tenentibus offert
Quo mentita fuit funeris esse locum.
Mirantur: titulumque vident; titulumque videntes
Non vidisse putant, quod stupor omnis habet.
Scripta leguntur eis; dubitantque an scripta legantur.
Et qui scripta legit addubitat ne legat.
Vera timere timent: nimiumque parumque fideles
Sunt sibi. spes prohibet, scripta timere iubent.
Quilibet in quemuis fixis obtutibus hæret,
Et velut elingues attonitique sedent.
Sardana, quid sibi vult titulus qui nominat ossa.
Ergo ait ignoro. Sardana dixit ei,
Tu cui nota magis est littera Græca videto,
Et tituli verba perlege. Gnatho legit.
Ossa Tipericii Tiperi patris hæc tenet olla,
Condita cum nituit Cæsare Roma suo.
Rem teneo, meminique senem, mi Sardana, dixit
Hoc dixisse semel, hæc patris urna mei.
Sed quia sola solet secreta recludere mortis
Hora, senis fuerant credita verba mihi.
Siue dolo, seu nos aliam deprendimus ollam,
Siue ut desiperet fecerat ille dolor.

Ve mihi. sperabam felicia tempora. cogor
Ponere spem. capta est fraus mea fraude senis.
Ve mihi qui spatia terrarum immensa cucurri,
Vt labor iste daret ossa legenda mihi.
Spes minuebat iter, & spe fallente laborem,
Quicquid dulce fuit, spe pereunte grauat.
Gnatho patere iubet quicquid celatur in olla;
Ne vel in errorem temporis error eat.
Ictibus oppositis venientem Sardana dextram
Sustinet. & quid ait ossa videre iuuat?
Funeris esse fidem dant argumenta sepulchri.
Non impune suo moueris ossa loco.
Manibus ira sua est qua læsæ sustinet vrnæ.
Pœnas has sceleris exigit vmbra memor.
Vtilius reputo, quoniam sperare vetamur,
Vt subeant sterili gaudia longa spei.
Confinxi Querulo fortunam velle redire.
Ne pateant aditus credulus arma tenet.
Qua lateri paries extremus deficit, & se
Non bene contingit, incidat olla Lari.
Accurret Querulus irascetur que sepulchro,
Atque auaui tumulum nesciet esse nepos.
Omnia perdidimus. sed & hac tamen omnia nil est.
Spem probat euentus: damna fuere spei.
Ludicra curremus post perdita lucra secundam
Vim delectandi. post lucra ludus habet.
Error in errorem crescit; fraus fallitur ipsa.
It dolus in fraudem. fit dolus ipse dolus.
Fiat, ait, Clinia. Gnatho fauet. ergo reditur
Missaque per rimam fecerat olla sonum.
Fracta minutatim furtum transtulit aurum

In ius alterius, quod fuit ante suum.
Pantalabum cuius cura custodia partis
Cesserat illius, huc ades, inquit ei.
Ecce reportata cum multo fœnoris usu,
Aurum quod tulerant, rettulit olla tibi.
Plus fecere Dei quam quod sperare liceret.
Fraus fallit fures, stant tua tuta tibi.
Aurum colligitur, numerantur mille talenta.
Auri tutelam firmior arca capit.
Mens ad lætitiam Queruli non sufficit. infra
Materiam remanent gaudia sæpe suam.
Ergo minus Querulus quam sint sua gaudia gaudet;
Atque in lætitia deficit ipse sua.
Sardana, qua recipit oblatum rimula visu
Dum sibi vestigat ludicra, damna videt.
Hei mihi, clamabat; aurum latitabat in olla.
Hei mihi decepta est fraus mea fraude mea.
Heu mendax titulus! cur ossa vocauerat aurum?
Hypocritæ tituli fraus mea fraude perit.
Ve mihi, ve Clinia. ve ve tibi, ve tibi Gnatho,
Iam sine ve nobis non erit ulla dies.
Confusi stupuere. dolent. dolor exit in iram.
Fraudis in auctorem debita pœna redit.
Hostes inuenit sibi quos sperauit amicos
Sardana. non una fugit uterque via.
Lætus adest Querulus. quis ait delitigat istis?
Nec mea turbare limina lite timet?
Fecerat audacem fortuna: superbia creuit.
Sic animi fiunt ad noua fata noui.
Sardana spectatur, cultusque ambage remota,
Exuitur ymago. Sardana verus erit.

Exhibitæ fidei pœnas luo. Sardana dixit.
Aurum consilio reddidit olla meo.
Se facit ignarum Querulus, quasi nesciat aurum.
Quas canis ambages? quid mihi garris, ait.
Sardana tu ne meus, tu ne ille es Sardana, patri
Et comes & seruus, auxiliumque viæ?
Ille ego sum, dixit; tibi missus vt olla reposta
Redderet indicio mille talenta meo.
Monstraui primo quoniam te fallere possem.
Sic in promissa est fraude probata fides.
ARBITER *inciderat liti. cui Sardana, nostris*
O bone iudiciis arbiter, inquit, ades.
Arbitrioque tuo defensio nostra quiescat.
Et ius & fidei præmia pende mei.
Victus morte senex, habeo, mi Sardana, dixit,
Ollæ commissa mille talenta domi.
Tu tibi sume decem: Queruli sint cetera. tempta
Si vel adhuc didicit prouidus esse sibi.
Furto deme prius: furataque redde talenta.
Passus damna semel cautior esse solet.
Cognita sollerter, temere nescita cauemus,
Qualiter euadas scita pericla docent.
Furor, reddo. fidem conseruo senique tibique:
Sed furando seni, restituendo tibi.
Fraus fuit absque dolo. fit vtrumque fidele. probata est
In furto pietas, in pietate fides.
Arbiter emeruit Querulum: Tua, Sardana, dixit,
Fraus sine fraude: fides est tua digna fide.
Vera putat Querulus. in partem Sardana venit.
Fert lucra ficta fides. lis cadit. acta placent.

Vitalis Gallici Blesensis Aulularia explicit feliciter.

IN QVEROLVM

NOTÆ PETRI DANIELIS.

Aucta a Conrado Rittershusio.

PAG. I. v.2. *Rutilium*] Forte hic est *Rutilius Claudius Numatianus*, Gallus & Poeta elegans: qui Theodosii Imp. tempore vixit. Id probat orationis tenor sęculum Theodosianum redolentis. V.3. *Venerande*] Sic Virgilius Culice: *Octaui venerande.* V.4. *Honoratā quietem*] Sic l.55. tit. De decurionib. lib.12. C.Th. *donari quiete honoratissima.* V.10. *Illa rerum*] f. legend. *curarum.* V.14. *Hoc manebat*] vet. cod. Camer. *manebit.* V.20. *Quid*] v.c. *quod.* V.25. *Insuper*] v.c. *super infusis.* Loquitur ex vet. more, qui monumenta odorib. perfundere solebant. Ibid. *Tituloq;*] *Titulus* hic est *inscriptio monumenti:* vt Iuuenalis lib.2. Sat. Silius lib.15. bis. Solebant autem plerumque illis *titulis* seu *inscriptionib.* & nomina defunctorum & vitæ tempora cōtineri: quod tamen hic non est factum: vt infra.

P.2. v.1. *Scripturæ fide*] Sic J. *perlege quæso iterum titulum funeris atq; omnem scripturæ fidem*, p.40. v.21. V.4. *Oblitus doli*] malim legere, *Obsitus dolis:* vt apud Terent. *pannis & annis obsitus.* sed v.c. *oblitus dolo.* V.9. *Fidem accommodat*] Sic J. p.41. v.16. *Qui agelasto illi ac perfido fidem accommodaui.* Phrasis Iurisconsultis frequens: vt l.43. D. de vulg. & pupil. subst. l.10. & 11. D. de his quibus vt indign. V.10. *Et puram fac.*] videtur esse glossema. V.12. *Credidit*] lege, *credit.* V.15. *Protulit*] leg. *propulit.* nam & J ait, *aulam illi per fenestram propellamus clanculum.* V.16. *Explosa*] fort. *displosa.* V.21. *Rettulerit*] v.c. *a re tulerit.* lego: *Quicquid autem rettulerit.* V.22. *Violati*] v.c. *violator.* non recte. Ibid. *Exitus hic)* Parisiens. edit. interponit, *ergo.* V.25. *Inlustris*] fort. *inlustri.*

P.3. v.1. *Mandrogerus*] ἀπὸ τῆς μάνδρας & γέρων. q.d. ἀρχιμανδρίτης: *senex primus & pater omnium.* An *mandragoge-*

vus, a *mandragora*, quam gerunt diuini? V. 7. *Prologus*] v.c. *Poeta*. V. 8. *Vobis*] v. c. interponit *a vobis*. at malim, *vos*. Ibid. *Nostros*] v.c. *noster*: nisi malis *nostros*, pro *nostrus*, vt *ipsus* pro *ipse*. Litteræ autem *o* & *u*, sæpe numero propter affinitatẽ sibi inuicem cedunt. V. 14. *Ac*] fort. *at*. *Rudem* dixit pro *nouam*: vt & Symmachus in Epistolis, & Iustinianus in l. vn. § 7. cum autem C. De rei vx. act. *rudem figuram*, id est *nouam formam*. V. 17. *Atq; contrario*] leg. *atq; e contrario*. V. 22 *Ipse exponet*] v.c. *Ille exponat*.

P. 4. v. 2. *In*] fort. *ad agend*. V. 3. *Cum clodo pede*] cur ita? Quia licet sermo sit hic poeticus, vt sup. d. tamen neque accuratam, neque certam pedum legem numerosque obseruasse certissimũ est. Idq; hic auctor ingenue profitetur. Per *Clodum pedem* intelligit orationem solutam. Apuleius *prorsum pedem* vocat. V. 9. *Vltra*] fort. *vltro*. V. 14. *Nobis*] fort. *vobis*. V. 15. *Seriemq;*] v. c. *atq; seriem*. V. 30. *Nemini auferri posse quod dederit Deus*] Sententia Pindarica Νεμεονικῶν δ', ἐμοὶ δ' ὁποίαν ἀρετὰν ἔδωκε πότμος ἄναξ, εὖ οἶδ' ὅτι χρόνος ἕρπων πεπρωμέναν τελέσει.

P. 5. v. 1. *Male*] fort. *male*. V. 5. *Partem*] v.c. *parte*. lego, *parte qui contentus*. V. 22. *Hinc*] edit. Paris. *subito hinc*. V. 23. *Armigerum*] leg. *aurigerum*. V. 24. *Hinc*] Paris. edit. *hîc*.

P. 6. v. 1. *Ego nunc tibi*] v. c. *tibi nunc*. V. 6. *Cui Bono hac*] v.c. interponit *tot hominibus*: Quod vt παρεμβεβλημένον reiicit P. Daniel: iniuria, vt puto. Formula autem, *Cui bono*, Cassii est, vt docet Cicero, id est, *Cuius gratia & ad cuius bonum*. Priscianus lib. 18. in fin. Græci, τινὸς ἀγαθὸν, vt Plato Epitaphio. Ea & noster iterum vtitur j. *Fures mihi ac prædones, cui bono?* p. 18. v. 6. Sic *quo bonum?* Vlp. l. 13. si cuius. § 2. de præteritis. D. de vsufr. V. 10. *Ne poscis*] v.c. *repositis*. V. 14. *Iam istud*] sic Plautus: *vis hæc quidem est*. V. 15. *Dic quid*] l. *quicquid*. V. 20. *Hîc*] v.c. *impune hîc*.

P. 7. v. 2. *Abstine*] al. *abstinc*. V. 3. *Quidnam*] fort. *quodnam*. V. 6. *Attat vero, &c.*] leg. *verò simil' est esse hunc, &c.* V. 8. *Misteriis*] v. c. *ministeriis*. quod rectius videtur. Eo & Apuleius vtitur. Ib. *Seminudus*] alludit ad morem Druidum, qui in suis magicis mysteriis dealbati & pedibus nudis

laudis ſpectabantur. V.13. *Ageretur*] v.c. *te egere.* V.27. *Tu verba*] v.c. *verba tu.* V.30. *Aliisq;*] fort. *aliis quoque.* P. Daniel legit, *ſatis aliis multis.* Et iungit, *ſatisdefenſorem,* id eſt, idoneum & ſufficientem defenſorem.

P. 8. v. 1. *Aſſertio*] *Aſſertionibus* olim opus erat, cum de ſtatu erat controuerſia. V.10. *Quanta iam*] fort. *quanta nam.* Et nota, *Quanta* poſitum pro *quot.* vt & Ī. non ſemel. Ibid. *Capitalia*] ſic Plautus Menæch. *Tametſi capital fecerit, facile aſſeruabis.* Et Silius Italicus: *Praeuetitum namq; & capital, committere Martem Sponte viris, &c.* Sic *capitale admittere,* Calliſtratus l.27. Diui fratres. §. 1. D. de pœn. V. 14. *Furtum*] *Furta* hic capitalia facit, vt olim erant ante pœnam quadrupli, teſte Seruio in 8. Æneid. & Iſidoro. &c. V.15. *Nusquam*] v. c. *Nullum.* V. 18. *Laudari*] Alludit ad *furta Laconum,* quæ *laudari* ſolebant ſi occulta eſſent. vide Plutarch. Laconicis: Gell. lib. 11. cap. vlt. Cic. 4. De repub. *vt Sparta, rapere vbi pueri & clepere diſcunt.* V. 20. *Quis autem*] Alludit ad illud: ἡ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τἀληθῆ λέγει.

P.9. v.2. *Si*] *Si* pro *An:* græciſmus, εἰ. Frequens in legib. Iuſtiniani. V. 4. *Ergo omnia de omnibus*] prouerbiale eſt: Πάντα περὶ πάντων. V. 8. *Bona hora hoc exaudiat*] ſimile illi formulæ Plautinæ: *Præfiſcini dixerim.* Germani quoque: **Gott laß michs in einer guten ſtunde reden.** V. 11. *Oe*] v.c. *ohe.* V. 19. *Sæpe*] abeſt τὸ *ſæpe* a v.c. V. 20. *Cum ſtaret*] v.c. *conſtaret.* V.21. *Vrbane*] diſtingue ſic: *Vrbane, Igitur peieraſti.* V.26. *Peregiſti*] v.c. *peregi.*

P.10. v.16. *Quid ſi*] v.c. *quod ſi.* V.19. *Credideris nemini*] Notum illud Epicharmium: μέμνησ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν: quod ſæpe celebrat Cicero. Notus locus Theognidis: πίστει χρήματ' ὄλεσα, ἀπιστίῃ δ' ἐσάωσα: & vide Dion. Chryſoſtomum De non temere credendo. Legit autem hic v. c. *Ne credideris nemini.* Quæ verior procul dubio eſt lectio. Sic enim & Ennius Erechtheo apud Feſtum: *Lapideo ſunt corde multi, quos non miſeret neminis, &c.* Geminata negatio vel prohibitio fortior eſt. V. 25. *Nemini te*] Ex Mart. lib. 12. V. 26. *Res*] Hæc verba P. Daniel Querolo tribuenda putat, vsque ad illa: *Quid placeat.* cui non adſentior.

P.11.v.10.*Mecum*] P.Daniel legendum coniicit, *malũ*. Sed retinendum, *mecum*: nam & ǰ. hoc repetitur, eique opponitur, *Iuxta alios*. V.13. *Quantum*] v.c. *quantam*. Fortasse leg. *Quanta*, id est, *quot*, vt & sup. V.14. *Somnium*] v.c. *somnum*. V.15. *Adsignantur*] v.c. *adsignatur*. V.16. *Omnia*] Lego, *Nomina*. Alludit enim ad illam Catonis querelam apud Sallustium in Catilin. *Iam pridem vera rerum vocabula amisimus, &c.* Quæ sententia est & apud Thucyd. Horat. aliosque. Ouid. *Sic mala sunt vicina bonis: errore sub illo Pro vitio virtus crimina sæpe tulit*. De paupertate autẽ similiter fere Iuuenal. lib.1. Sat.3. & Parasitus Sticho Plauti: Horat.3. Carm. V.18. *Negligens*] *neglegens*. v.c. V.23. *Es*] abest a v.c. V.26. *Nemini ante hac*] v.c. *ante hac nemini*. Ibid. *Nonne hoc iustum*] v. c. *iustum hoc*. Alludit ad *ordinem mortalitatis* qui dicitur in l.15. D. de inoff. test.

P.12.v.1. *Suscenses ne?*] *suscensere*, vt *suscipere* nõ *succipere*. V.4. *Iam*] leg. *Nam*. V.6. *Facilem*] lego, *Felicem*. V.7. *Multi*] lego, *multi multos*. V.11. *Maxime*] lego, *maxima*. V.12. *Numquid*] verba Laris consolantis & admonentis Querolum. V.13. *Homines*] v.c. *omnes*. Sæpe verba *homines* & *omnes* perperam inter se commutata sunt a librariis. Ita in l.9. C. de legib. l.7. C. de malefic. & mathe. & alibi. V.14. *Oe*] v.c. *sed*. *Consortes* hic vocat qui proprie *confines*. V.19. *Ecce rem*] Hesiod. πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ. V.22. *Faciunt*] lego *faciant*.

P.13.v.1. *Facimus*] lego, *faciamus*. V.17. *Et felicem*] Quasi dicat: cum sit λῷστον ὑγιαίνειν. Ibid. *Ne posi*] Quantum demũ homines nostra intelligimus bona, Cum quæ in potestate habuimus, ea amisimus, sententia Plauti & Terentii. V.18. *Iam superius*] Ibi: *hoc mecum tolerabile est*, p.11. v.10. V.22. *Iam hoc*] sic sup. *Iam istud ad vim pertinet*. p.6. v.14.

P.14.v.1. *Deplorare*] Præclara sententia vno verbo obfuscatur. Nam pro *deplorare*, legendum, *deflorare*: quo & Symmachus vtitur, per eo quod est, *eligere & excerpere optima quæ sunt in re, & quasi florem rei alicunde decerpere*. V.2. *placeat*] v.c. *placet*. V.4 *Si*] *si* pro *an*, vt sup. p.9. v.2. V.6. *Ferrum excipere*] Id est, *iugulum aut latus ferro præbere, non contrahere collum: nullos impetus, nullos ictus reformidares*

te: quod est hominis fortis & magnanimi. Cic. pro Sestio, *Num (vt gladiatoribus imperari solet) ferrum non recepit?* Vide Lipsium Saturnalib. V.14. *Mihi liceat*] v.c. *liceat mihi.* V.17. *Non*] v.c. præponit *Et.* V.19. *Ad Ligerem*] al. *Ligerim.* V.20. *Quidtum?*] l. *Quidiam?* V.22. *De robore*] Id est, *In quercubus.* Intelligit Druidas. vide Plin. lib. 16. c. vlt. sic iudices *vlmicolæ* a Gallis dicuntur, quia sub vlmis ius dicunt. V.23. *Scribuntur in ossibus*] dele τὸ *in.* vide Isidor. lib. 6. c. 8. V.24. *Ibi totum*] sic sup. vsurpauit Totũ, *Totum commerui.* V.25. *Patus*] Nicetas in Alexio Duca: ὥσπερ καὶ πλοῦτος πάτος, ὁ ἱερὸς, ὁ τοσοῦτος τὸ πλῆθος καὶ τὴν ἀδικίαν ἀπέραντος. Ibid. *Appellaberis*] v.c. *appellaueris.* vt solent in P. Flor. B. & V. commutari. Ib. *Græcia*] Druides enim veterum Gallorum magi, *Græcis* vtebantur *litteris* in publicis rebus priuatisque rationib. teste Cæsare 6. Bell. Gall. & Strabone lib. 4. V.28. *Ego sum*] lego, *sim.*

P.15. v.1. *Togatus*] *Togatus* idem quod *aduocatus* vel *causidicus.* Sic J. *viuat ambitor togatus.* Contra *extogatus*, qui *aduocatus esse desiit*: quo verbo J. vtitur p.36. v.11. V.7. *Carceres*] v.c. *calceos.* In aliis deest *carceres.* V.8. *Puluis*] v.c. præponit *&.* V.12. *In tubulis*] id est, in locis angustis & calidis. *Tubuli* proprie angusta foramina, per quæ fumus transmittitur. Sic J. *vtaturq; in æstu tubulis angustis & nouis.* p.36. v.20. V.14. *Primum*] id est, *primulum* seu *matutinum.* V.15. *Serium*] v.c. *serum.* Ibid. *Vende vocem*] sic Seneca Herc. fur. *Hic clamosi rabiosa fori iurgia vendens improbus, iras & verba locat.* V.19. *Nisi quod*] τὸ *quod* abest a v.c. Ibid. *Efferre*] proprie de mortuis dicitur: vt apud Plaut. & alios. sic Græci ἐκφέρειν, ἐκκομίζειν. Plauti mſ. fere legunt *ecferre.* V.22. *Qui chartas agunt*] Tabellarios seu tabularios intelligit, qui *chartas agere* dicuntur, l.1. C. Th. lib. 8. tit. De tabular. holograf. i. censual. scribis. V.25. *Erudite*] v.c. *eruditus.* V.28. *Heroes*] v.c. *Heredes.* V.29. *Condita*] sic *conditum ollæ* dicitur J. Et *condita militaria* apud Spartianum in Hadriano: vbi vulgo *condicta*: in qua lectione tuenda frustra se quidam torquent. Sic *in condito esse* vel haberi a Paulo IC. dicuntur ea quę præsidii causa seruantur & reponuntur. l. 97. Osidius D. de leg. 3. Quibus opponun-

tur ea *quæ in vsu sunt quotidiano patrisfamilias.* vide Notas meas ad Sent. Pauli.

P.16.v.5.*Capsas Titi*] Quis hic sit *Titus*, ignoratur. Alludit autem ad verbum vulgare: *Pecuniosos podagra laborare.* Scholiastes Aristoph. in Pluto: Παρ' αὐτοῖς μὲν γὰρ ποδαλγοῦντες. ποδαγρῶντες γὰρ τοιοῦτοι οἱ πλούσιοι γίνονται ὑπὸ τῆς τρυφῆς· ὅπερ ἀσελγείας καὶ φαυλότητος δηλωτικόν ἐστι. V.10. *Tota mente*] sic ille: *Habes, tota quod mente petisti.* V.11. *Paphien, &c.*] Nomina *Veneris*, accommodata scortis: vt Horatius amicam *Phrynen* vocat. V.12. *Pondere*] id est, *hernia.* Vide Iuuenal. Satyr. vn. lib. 2. August. lib. vlt. De Ciuit. Dei cap. 8. Arnob. lib. 7. V.16. *Cum illis*] v.c. *his.* Translata autem sunt ista de Terentii Phorm. Scen. 3. Act. 2. V.20. *Si toto*] v.c. *scite tu.* Ei qui ad populum dicere volet, inutilis est pudor. Exemplum in Isocrate, &c. V.24. *Tua disputatione*] v.c. *disputione:* ἀποπλύω. fort. a *dispuo.* V.26. *Mutabis*] v.c. *mutabitur.* Sed elegantior videtur prior lectio: vt J. pag. 40. v.10. *nostra hæc mutauere fata.* sic *augere* dicunt Latini pro *augeri: ponere* pro *poni: &c.*

P.17.v.4. *Quantum*] v.c. *at quanto.* V.5. *Inesse felicem*] leg. *non esse.* al. *esse felicem non sinunt.* Quid si cum interrogatione legas: *an esse felicem sinunt?* V.10. *Hinc*] v.c. *huic.* V.13. *Meam mihi*] v.c. *Mihi meam.* V.15. *Esse te,*] *te* abest a v.c. melius, vt puto. V.24. *Ex transuerso*] id est, *ex transuersa cognationis linea, ἐκ πλαγίου*, vulgo *ex linea collaterali.*

P.18.v.4. *Iuberesne*] v.c. *iubesne.* V.6. *Cui Bono*] vt sup. p.6.v.6. V.7. *Aut præsidii est*] id est, *si quid in condito habes:* si quid argenti præsidii causa sepositum: quod *peculium* dicitur apud Varronem, cum ait: *Pecunia sine peculio fragilis est.* Et, *Peculium semper maximum est præsidium.* Sic J. bis vtitur: *præsidium paternum:* pag. 44. v. 17. & p.50.v. 20. Et Plautus Persa: *Marsupium habeat: inibi paulum præsidii:* Et in vet. quadam formula: *Tam de alode mea, quam de comparato, vel mancipiis vel præsidio meo, vel quodcumque moriens reliquero, &c.* V.12. *Obscuris*] Virg. lib. 6. Æn. de Sibylla: *Obscuris vera inuoluens.*

P.19.v.12: *Inuestigem*] v.c. *vestigem.* Eod. v. 12. *Cohort fuliginosæ*] Recte *fures* a *furuo* describit. vnde etiam dictos

volue-

voluerunt quidam e ICtis. *Vulcanosa*, id est noctiuaga. Sic noctem Horat. describit. 1. Carm. *dum graues Cyclopum Vulcanus ardens visit officinas.* V.13. *De die*] vnde ἡμερόκοιτος ἀνὴρ Hesiodo est fur. V.15. *Quiq; curtant balteos*] βαλαντιοτόμοι. V.23. *Numquod nam*] v.c. *quid nam.*

P.20.v.5. *Litteratos*] v.c. in marg. hab. *veteranos*, at in textu *ditteranos*. Ibid. v.9. *Iuris conditores*] Ita passim in Codice appellantur Iurisconsulti. V.10. *Olla conditum*] sic sup. *condita luporum*. V.22. *Hamati*] *amati* v.c. V.23. *Aliqua*] *alia* v.c. V.26. *Oe*] *Hohe* v.c.

P.21.v.3. *Funus ad lætitiam spectat*] vide Artemidori ὀνειροκριτικά. V.18. *Ædiculam*] *ediculum* v.c. V.19. *In parte ex diuerso*] id est, *sinistra parte*. sic sup. & J. V.22. *Ilignis*] ob firmitatē & crassitiem ilicis. Sic Græcis πρίνινον durum & solidum est. V.25. *Regula*] id est, *claustra non hamata.*

P.22. v.4. *In recte rationem*] delendum τὸ *in*, & præponenda his persona MAND. & ita P. Daniel. An ita; *an recte rationem tenes?* vel: *inrecte*, pro *recte*, vt *inante* Propertio, pro *ante*. Camerarii certe cod. legit ὑφὲν, *inrecte*. V.7. *Hoc iam*] v.c. interponit *etiam*. *Hoc etiam nostrum*, Camerar. V.21. *Audire hunc*] τὸ *hunc*, non est in v.c. V.29. *Gesseris*] v.c. *gesserit*. male.

P.23. v.13. *Missodes*] v.c. *misides*. Ibid. *Venias mec.*] non est in v.c. posterius, *venias*. V.14. *Simul*] v.c. *sumul*: vt J. *effugies* pro *effigies*, & *metuculosus* pro *meticulosus*. V.22. *Amici expectant*] v.c. *expectant amici*. V.23. *Paulisper mane*] v.c. *mane paulisper*. V.29. *Atq; isto*] f. *Atqui*. & ita P. Pithœus quoque legit.

P.24. v.6. *Hoc scio*] v.c. *nescio*. f. *plus hoc nescio*. V.7. *De Magis existimo*] Magus perfectiss. est, qui præterita ab omni memoria edisserit, & futura prænunciat. V.9. *Hominem tu*] v.c. *tu hominem*. V.11. *Paulisper non vacat*] v.c. *paulisper mane*, sine illis, *non vacat*. V.16. *Ipsud*] v.c. *ipsum id*. f. *istud*. P. Dan. V.23. *Hunc esse*) v.c *esse hunc*. V.24. *Diuinum vel magum*] v.c. *&* pro *vel* habet. V.28. *Differat*] v.c. *differantur*. V.31. *Saluos esse volo*] v.c. interponit *vos*.

P. 25. v. 1. *Sacerdotum max.*] supra diuinum, magum, mathematicumque dixit, quem hic *Sacerdotem* nunc

appellat. Sic & j. bis. *Magi* sacerdotes odioso nomine olim dicti l. 2. de malefic. & mathem. & his similib. lib. 9. C. Th. V. 5. *Quanam? Fortasse noui*] f. *Quadam fortasse noui.* V. 13. *Facilia*] fort. *facillima.* V. 15. *Obsecundat*] id est, *officia præstat.* verbũ frequens in C. Th. vnde in iure dicũtur *obsequia liberorum & libertorum.* Sic j. p. 33. v. 27. *aut seruire aut obsequi.* V. 17. *Dicere*] videtur superesse vnum *Dicere*, & abest prius v. c. Cam. V. 22. *Planetæ*] *Planetas* philosophi & mathematici veteres vocabant κοσμοκράτορας & ῥαβδοφόρους. Ibid. *Cynocefali*] vide Diodor. Sicul. lib. 4 Biblioth. Ctesiam, Agatharchidem, Aristot. Ælian. de histor. animal. & Solinum, Orum deniq; in Hieroglyph. V. 24. *Intueare*] leg. *mitigare.* V. 27. *Nec visu faciles*] Virg. 4. Æneid. Accius Philocteta: *Quem neq; tueri contra, neq; affari queas.* In hunc locum ita Iohannes Salisburiensis lib. 2. Polycratici siue De nugis curialium, cap. 25. *Ita a dispositione siderum euentuum necessitaté ingerit huius auctor fabulæ, vt illos sale satis vrbano eleganter aspergat, qui visum exercent in contemplatione eorum quæ visum fugiunt, & interpellant eos qui loqui dedignantur. Et cum atomos in ore voluunt, verendum est, ne si atomus genethliaco intercidat, in excipienda sententia cælestium labatur.*

P. 26. v. 3. *Regant*] v. c. *regnant.* Ibid. *Euertat*] v. c. *euertant.* V. 6. *Transferri messes*] Virg. Pharmaceutria: *Atq; satas alio vidi traducere messes.* vbi vide Seruium. XII. tabb. *Neue alienam segetem pellexeris.* Nou. Leonis 65. vocat θεραπείαν τῶν σπερμάτων καὶ καρπῶν. Dicitur & γοητεία & κακουργία generali nomine. V. 16. *Si obaudire*] *obaudire* v. lexic. exponit *male audire.* inueniri etiam ait pro *obedio*, sed raro. At Festus *obedire, obaudire.* & ita hic accipiendum. V. 17. *Et oracula*] τὸ *&* non habet v. c. V. 24. *Arpyiæ*] v. c. *Arpigiæ*, male, vt & j. V. 25. *Nocturnæ Striges*] Horat. Epodis dixit *nocturnam strigem.* Isidorus lib. 7. c. 12. *Strix nocturna auis nomen habet de sono vocis. quando enim clamat, stridet.* De ea Lucan. *Quod strepitus bubo, quod strix nocturna queruntur.* Vide Ouid. 6. Fast.

P. 27. v. 5. *Ariolorum longe fallacissimi*] Alludit ad historiam Gallorum, quorum ascensus in Capitolium clangore

anse-

anserum proditus est dormientibus canibus. V.13. *Diris cum clangoribus*] Sic de Harpyiis Virg.4. Æneid. *Arpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas.* V.19. *Tullius*] in Orat. pro Roscio. Plinius lib. 10. c. 22. *cibaria Anserum Censores inprimis locant.* Arnob.lib.6. *cur canes in Capitolio pascitis? cur anseribus victum alimoniamq; prabetis?* V.23. *Proteum*] De *Proteo* Virg.4.Georg.Hom.Odyss.δ. V.26. *Vela*] *vela* non solum in foribus templi pendebant: (vt Exod.c.38. Num.4.&c.) sed etiam profanarum ædium ianuis obtendebantur Lampridius Heliogab. Seneca lib.11. Epist. Iuuenal.lib.2.Saty.vnica,& lib.3.Saty.vlt.Sidonius Apollin.lib. 1.Epist.& lib.4.l.42.De instr.vel instr.leg.l.18.De act.empt. l.1.de off.rect.prouinc.lib.1. C.Th. Iudiciis obtendebantur vela. *Non sit* (inquit) *venale iudicis velum, non ingressus redempti.* Græce παραπέτασμα. vnde *Leuato velo cognoscere, &c.* V.27. *Alui des*] f. *albi dentes:* vel *alui grandes:* vel *alui desides:* vel, *auida & panda manus.* Ibid *Æditui*] Cic. de signis: *Fores ædis effringunt: æditui custodesq; mature sentiunt.* V.28. *Ecuba*] De Hecuba in canem versa Eurip. Hecuba: Plautus Menæch. Ouid.13. Metam. DictysCretensis, &c. V.29. *Anubi*] Virgil.8.Æn. *Omnigenumq; Deum monstra & latrator Anubis.* ad quæ Seruius: *Latrator* (inquit) *dicitur quia capite canino pingitur: hunc volunt esse Mercurium, ideo quia nihil est cane sagacius.*

P.28.v.3. *Vt adeas*] Ex Cicerone de suppliciis translatum. Eod. v. *Perorare*] v.c. *orare.* *Si paruo nequeas, at quanti queas)* Ex Terentii Eunucho. V.9. *Mihiq;*] τὸ *que* non est in v.c. V.10. *Prole cognitur*] v.c. *prolem.* f. *cognoscitur.* V. 12. *Puto*] ed. Paris. *poto:* antiqua scriptura. V. 14. *Ramus aureus*] Æneid.6. V.19. *Quas illic*] v.c. *illac.* Ibid. *Quos corymbos*] f. *ronchos*, id est derisiones. Turnebus. Est enim *ronchus* sonus, quem naso stertentes edunt, & quem ridendo derisores imitantur. V. 22. *Arpyias*] Harpyiæ Phineum exagitarunt potiss. Ouid.5. Metamor. Ammian.lib.22. Oppianus lib.2. Cyneg. vide de his Virg.3. Æneid. ex quo multa hic transtulit. V.29. *Curuis vnguibus*] Virgil. *Turba sonans prædam pedibus circumuolat vncis.* Iuuenal.Sat.2. lib.3. *curuis Vnguib. ire parat nummos raptura Celæno.* Vide Rutilium in Itinerario.

P.29. v. 1. *Alere*] v.c. *valere*. V. 2. *Noctiuagas etiam*] v.c. *Noctiuagos*, τὸ *etiam*, non habet. Ibid. *Præteristi celeres*] v.c interponit *&*. V.8. *Interrogastis*] v.c. *interrogasti*. V.10. *Aliqui*] *aliquis*, antique pro *aliquis*. V. 11. *Coli, vel*] hæc non habet v. c. V.13. *Genii Decreta fatorum regunt*] Ammian. lib. 21. *Ferunt Theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salua firmitate fatali, huiusmodi quadam velut actus rectura numina sociari, admodum tamen paucissimis visa, quos multiplices auxere virtutes.* Loquitur autem de *Geniis*. V. 27. *Regium nomen*] Alludit ad nomen *Sardanapalli* Assyriorum regis vltimi.

P.30. v.6. *A capite*] Sic Cic 2. de orat. *A capite arcessere*, id est, a prima & vltima origine, vnde omnia manant, repetere. V.17. *Tun' Querolus*] v.c. *tu*, sine interrogatione. V. 20. *De Clepsydra*] id est, *indice Clepsydra*. Hic Astrologi vtuntur clepsydra. Suidas: κλεψύδρα ὄργανον ἀστρολογικὸν, ἐν ᾧ αἱ ὧραι μετροῦνται. De fabrica & inuentione clepsydræ optime Galenus, περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας τῶν ἐν ἑκάστου ψυχῇ ἁμαρτημάτων. V.21. *Mars trigonus, &c.*] Hæc totidem verbis mutuatus est hinc Luitprandus Ticinensis lib.1.c.3. De reb. per Europam gestis.

P.31. v.5. *E diuerso*] id est, *ad sinistram*: vt sup. V.7. *Iam iam comprobasti*] v.c. *Iam comprob.* V.9. *Promito*] v.c. *promitte.* Ibid. *Vbi*] f. *tibi.* V.12. *Illi*] pro *illic*, vt sæpe Plautus vtitur. V.14. *Exclusit*] v.c. *excludit.* V.15. *Religio*] sic J. aliquoties vtitur *religionis* verbo. V. 25. *Non solum*] legebatur hic antea, *nunc*; & ita restat in Cam. v. c. V.27. *Iam nunc*] v.c. *nunc iam*. V. 30. *Fatum ac decr.*] an, *factum & decretum*, id est, res & negotium decretum? Fatum momentis regi, principium est artis magicæ. Gregor. homil. 10 De diuers. lect. Euang. *Sed ad hoc respondere solent mathematici, quia virtus constellationis in ictu puncti est. Quibus e diuerso nos dicimus, quia magna est mora natiuitatis. Si igitur in ictu puncti constellatio permutatur, necesse iam erit, vt tot dicant fata quot sunt membra nascentium.*

P.32, v.6. *Lustrum*] id est, *malum omen*, quod lustrandum & expiandum est. Sic J. quoque vsurpat p.37. v.6. Sic *amores, odium*, pro re amata & odiosa: *Affectus nostri & affectiones*

nes pro cognatis & propinquis dicuntur, &c. V. 9. *Quod bonum, faustum*] Solennis præfatio hæc erat, non solum in sacris, sed etiam in consulum actionib. vide Cic. de Diuinat. Plin. initio Paneg. V. 17. *Destrui*) v. c. *destitui*: alius c. v. *destut.* manifesto mendo. V. 29. *Temetum*) v. c. *metum*, quod non esse reiiciendum videtur P. Danieli. V. 30. *Turba trepida*) f. *turba, trepidatio.* V. 31. *Iunctura inuersa*) Propter iugum equis currilibus necessariæ. Capitolin. in Ælio Vero: *Data & vehicula cum mulabus ac mulionibus, cum iuncturis argenteis.* Paul. lib. 3. sent. tit. 6. De legat. *Carruca cum iunctura.*

P. 33. v. 5. *Mouere*) id est, *vti carpento*: vt *mouere equos, arma.* sed legend. f. *nouare*, an potius, *moueri?* V. 27. *Calidam*) v. c. marg. *vel patenam.* Ibid. *Fumosam*) id est, *aquæ calidam fumum exhalantem.* fieri enim haud potest vt aqua calida fumum nō exhalet. *Calidam* autem & *frigidam* cum dicimus, *aquam* intelligimus, quod antiquitus potio calida & frigida propinaretur. Iuuenal. *calida gelidaq; minister.* Sic sæpe apud Martial. eius mentio. V. 28. *Vnguentatos*) i. *sordidos & manibus vnctis tractatos*, vt ait Horatius. V. 29. *Contusum*) v. c. *contunsum.* Ibid. *Infractum*) id est, *valde fractum*: vt Æn. 12. *infractos aduerso Marte Latinos.* V. 30. *Exauriculatum*) id est, *inauritum*, vt Gellius loquitur. Iuuenal. lib. 1. Saty. 3. *vas curtum* dicit, cui desint & effractæ sint auriculæ, quas vulgo *ansas* vocamus. Græci ὦτα dicūt: Vnde *diota* Horatio, & ἀμφῶτις Theocrito, *Vas vtrinq; ansatum*, quod hinc & inde leuatur. Sic enim ansæ geminatæ videntur aures imitari. Martial. lib. 11. in Chæremonem: *Hanc tibi virtutem fracta facit vrceus ansa.* V. 31. *Limosamque*) Horat. *Siue grauis veteri cratera limus adhæsit* Serm. 2. Ecl. 2.

P. 34. v. 7. *Vetere castrata suco*) Plin. lib. 28. c. 4. *inueterarè vina, sucisq; castrari*: vbi tamen f. rectius, *faecis*: vt etiam apud Senecam & Q. Serenum. V. 10. *Paxillum*) v. c. *pauxillum.* V. 14. *Mille*) v. c. *nulla.* nullo sensu. V. 19. *Scriptulos*) v. c. *scripulos*: *scriptulus* est vigesima quarta pars vnciæ. Vide quæ notaui ad Remnium, de Ponderibus & mensuris. V. 22. *Sed mali*) v. c. interp. *&.*

P.35.v.4.*Somniculamur de die*] sic J.p.39.v.17. V.9.*Ille est dies*] vide Senecam in Epistolis contra huiusmodi homines disserentem, qui officia lucis noctisq; peruertunt. V.12.*Splendoris*] v.c.*plendoris*. alii pro *illud* legunt *hic,id*. V.14.*Domino*] v.c.*domi*. V.15.*Effusa capillorum volum.*] quia fœminæ capillos colligantes in orbē voluebant. Iuu. lib.2.Sat.1.*crinemq; rotant vlulante Priapo Mænades*. Et, *altera læuum Extendit, pectitq; comas & voluit in orbē*. V.20. *Quoniam totum hoc mutuum est*] i.*quod acceptum est reddimus*, nec ꝓprium facimus, sed alienū semper remanet. Sic Plaut.Curcul. *Ego autem cum illa facere nolo mutuum. Quid ita? Quia proprium facio*. Varro: *Si datur quod reddatur, mutuum; quod Siculi μοῖτον*. Ita scribit Sophron: *μοῖτον ἀντὶ τιμᾶς*. V.21. *Obseruamus*] f. *obseramus*. V.25. *Quanti*] id est, *quot*, vt sup. aliquoties. Et ita sæpe loquitur B. Hieron. &c. V.28.*Vt cum*] f.*tecum*. V.29.*Aut*] f.*ad*.

P.36.v.4.*Clamauit*] f.*clamabit*: V.pro B.vt & sup. notami. Ibid.*Fas erat*] id est *δυνατὸν* vel *ἔξεστι*. vtroq; sensu apud Horat. V.6.*Accipienda & mussitanda iniuria est*] Ex Ter. Adelph. V.10.*Vt omnis*] v.c.*meus*. V.11.*Aut ex officii principe*] i.Destitut⁹ iam & priuatus ea dignitate,quā habet officii princeps: De quo l.1.De off.rect.prou.lib.1.C.Th.Lamprid. Heliogab.& Alexand.Symmach.lib.1.Ep.ter quaterue.Est autē *officii Princeps*, primus officialiū,quos ministros & apparitores vocam⁹,vt *princeps scriniorū*,i. primiscrinius vel primicerius scriniorū: vt *princeps agentiū in reb*.i. prim⁹. Breuiter, in omnib. potestatū & dignitatū officiis q *primus* est, *princeps* dr: vt patet ex Mariani Notitia. Sic *princeps iuuentutis, senatus, ciuitatis, &c.* V.16.*Circūforanus*] f.*circūforaneus*. Ib.*Circūspectator*] v.c.*circūspector*. V.17.*Speculator*] v.c.*spectator*. V.19.*Salutet fastidientes*] v.c.*salutat fastidiantes*. male. V.20. *Tubulis*) De *tubulis* sup.d.p.15. v.12. *Nihil esse grauius fortuna mala*) sic J.p.50.v.31. V.31.*Venit*) f.*euenit*, vt J.p.44,v.29.

P.37,v.1,*Purificatam*) id est, *vacuefactam*. alias *purificare* est *Nitefacere*: vt, *Pario marmore purius*. Ibid.*retineo*) scil. *memoria: recordor*. V.2,*Inclusimus*) v.c.*includimus*. V.8, *Sensibus imis cape*) Sic Virg. Eclog. *Sensib. imis reponere* dixit

xit: & Hesiodus aliique Græcorum, ἐν φρεσὶ βάλλειν, vel τιθέναι. V.10, *Nec Dii sinant)* Plautinum est: *Istuc ne Dii sirint.* Ib. *Vna sit illi istæc & perpetua via)* Formula execrandi, quæ adhuc durat: nam cum alicui maledicimus, abigentes eum a nobis, vota facimus, vt tam longe a nobis abeat, ne vnquam redire possit. Sic Cic. in Pison. *An quod tibi proficiscenti euenit, vt omnes execrarentur, male precarētur, vnā tibi illam viam perpetuam esse vellent.* Sic Turpilius comicus Thrasyleonte apud Nonium: *Age, age, egredere: atq; vtinam istuc perpetuum itiner sit tibi.* Vide de hoc deuouendī modo P. Victorium lib. 2, var. lect. c. 1. V. 13, *Hoc triduo)* veteres post lustrationes seu expiationes *triduum* religiose obseruabant, vt videre est etiam apud Euripid. Alcestide. Sic hodie Christianorum vulgus sumpta cœna sacra triduo fere, ac ne vix quidem triduo, probum & religiosum videri amat; quasi nō studium probitatis tota vita constans & perpetuum esse debeat. V. 14, *Foris)* f. *foras.* V. 19, *Non)* v. c. *num* Et ita cū interrogatione legendū fuerit. V. 21, *Inter me)* Sic Cic. in Catilin. *dummodo inter me atq; te murus intersit.* Huc pertinet iocus B. Hieron. *Quid interest inter Sclauum & asinum, inquiebat Conuiciator? Paries, inquit ille.* V. 25, *Fecero)* Sic Pl. Sticho: DIN. *Tu hoc cōuerre.* GE. *Fecero.*

P 38, v. 6, *Istud iam)* malim: *Istud qđ iam.* V. 12, *Frequētur)* v. c. *frequentātur.* Ita nihil op⁹ antiquo verbo *frequeo*, a quo volūt esse *frequens*, & *frequento.* V. 13, *Celeri)* vt *hilaris* vel *p celeriter* positū est. V. 21, *Sol ipse nō sēp p nitet)* Horat. *Nō vno luna rubēs nitet vultu.* ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ. *Soles nitent,* dixit idem Hor. vnde & *sol nitidus.* V. 23, *Eadem dico vobis absentibus præsentibusq;)* Ne seruorum more ceterorum videātur facere, qui de dominis ea sæpe loquuntur, quib. coram dominis loqui nō licet: vt ait Sen. V. 30, *Nimiū nosmet prædicas)* ἄχθος ἐστὶν αἶνος λίαν.

P. 39, v. 2, *Quod)* v. c. *qua.* V. 3, *Ossibusq;)* τὸ *que* non est in v. c. V. 6, *Vobis naturale est, odisse dominos)* Theophilus Antecessor: Φύσει ὁ δοῦλος τοῦ δεσπότου πολέμιος. Simplicius in Epictetum: ἐχθροὶ πάντως εἰσὶν (οἱ δοῦλοι) οἱ πλεῖστοι τῶν δεσποτῶν, καὶ πολέμιοι. Festus: *Quot serui, tot hostes, in prouerbio est, &c.* V. 11, *Cœperat)* v. c. *occœperat.* V. 12, *Intus)* *intus* pro *intro*, vt & ĩ. & sup. Sed apud Pl. *intus* signif. de loco, i. *foras.*

V.13. *Est hoc, quod)* τὸ *quod*, non est in v. c. Ibid. *Clausus video)* v. c. interp. *esse*. V. 20. *Pseudothyrum)* i. posticum. V. 22. *intercludi)* v. c. *interclaudi*. V. 29. *Vere)* Quidam leg. *vero*. sed melius, *vere*. Iuuenal. Sat. 13. *Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.* V. 31. *In cinerem versum)* Sic prouerbio dicimus: *Thesaurus factus est carbones.*

P. 40. v. 2. *Pauper)* f. *paulisper*. V. 7. *Fatum ignoraui meum)* Recte Ennius apud Cicer. 1. De diuinat. extremo; de vanis & impudentibus hariolis & superstitiosis vatibus, *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.* Ibid. *Iam iam omnia recognosco.)* v. c. *Iam recognosco.* V. 11. *Hæc est)* v. c. *Est hæc.* V. 13. *Non tangit dolor?)* Virg. *non solos tangit Atridas Iste dolor.* V. 16. *Quonam)* v. c. *quoniam.* V. 27. *Hem me miserum, hem me miserum)* v. c. tantum semel habet. fort. pro *hem*, legend. *heu*. V. 29. *In faucibus)* v. c. addit: *hæret*. f. ex glossa.

P. 41. v. 1. *Diris)* v. c. *duris*. Ibid. *Flagrat)* f. *fragrat*. V. 2. *Ante hac)* v. c. *ante hæc*. Ibid. *Ranciscere)* pro *rancisci*. V. 3. *Vsurario)* quasi dicat cui alias lucri bonus est odor ex re qualibet, vt ille aiebat. V. 8. *Gracula)* f. *graculo*. V. 10. *Monita curti canis)* id est, abscissis auribus vel cauda. Sic canis auspicium est & apud Terent. Phormione: *Postilla monstra euenerunt mihi. Introiit in ædes ater alienus canis.* V. 12. *Conscendit)* v. c. *conscidit*. V. 15. *Desinens)* v. c. *desines*. V. 16. *Qui agelasto)* hic in v. c. sunt interiecta quædam verba, quæ ex glossa irrepserunt, *agelastus est sine risu, &c.* Cognomentum hoc fuit Crassi. V. 21. *Laudemus)* leg. *ludamus* P. Pithœus.

P. 42. v. 1. *Inruas)* v. c. *ruas*. V. 6. *Sacerdos)* id est, *Magus* vt sup. aliquoties. V. 10. *Recipiam)* v. c. *recipio*. quod est εὐεργέτεσιν. V. 11. *Ad ianuam)* v. c. interponit *hanc*. V. 13. *Celeriter)* τὸ *celeriter* non est in v. c. V. 18. *Quid hodie)* v. c. *quod*. f. *quicquid*. V. 29. *Vita erat)* vitã vocat aurũ, quo amisso verum funus duci ait. Sic illo, τἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς: & Hesiodus, χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι. vide prouerb. apud Erasm. *Pecunia alter sanguis.*

P. 43. v. 8. *Pondera)* f. *pondere*. V. 15 *Omnes itaq.)* Eurip. Ione: οὐκ ἔστι λαθεῖν ὅτε μὴ χρῄζων θεὸς ἐκκλέπτῃς. V. 17.

Vbiq.)

Vbiq;) S.Victor. *vbi.* Ibid. *Faueat)* v.c. *foueat.* Ibid. *Totum ille qui potest)* ὁ παντοκράτωρ καὶ παντοδύναμος.

P.44.v.2. *Fleri)* v.c.*fieri.*f. *queri* vel *flere.* V.4. *Diuinitatis)* id est, *Dei.* V.13. *Ibi)* lego, *vbi.* V.15. *Aut)* lego, *at.* V.16 *Hominem)* v.c *homine.* male. Ibid. *Magum Mathematicum)* lego, *magum mathematicumq;*, vt ĩ. p.51. v.25. V.18. *Memet domine)* videtur omissum tale quid: *vt opponerem.* V.22. *Omnia bona)* v.c. *bona omnia.* V.23. *Falleretur sic)* v.c. *sic falleretur.* V.24. *Meus)* lego, *meos.* V. 29. *Venerunt)* f. *euenerunt.* vt sup. p.36. v.31.

P.45. v.1. *Hic)* f. *huc.* V.2, *Exhibet)* v.c *exibet.* fort. *exibit.* V.10. *Retineam)* sic in v.c. pro *retineamus.* Ibid. *Sequuntur)* f. *sequantur.* V.15. *Nunc viuo)* v.c. interponit *si.* V.17. *Expilasti)* v.c. *expoliasti.* ĩ. tamen est *compilasti*, p. 48. v.28. V. 20. *Subripuisti hodie)* τὸ *hodie*, non est in v.c. V.21. *Non debebatur)* f. *nam*, sine interrogatione. V. 28. *Solum atq; vnicum)* sic Catullus: *Qui modo me solum atque vnicum amicum habuit.*

P.46. v.6. *Vel per)* τὸ *per* non est in v.c. V.8. *Ad te direxi)* id est, *misi:* vt apud Symmachum, &c. V.10. *Si fides)* lego, *sic fides.* V.17. *Nobis commissa)* v. c. male, *nobiscum missa.* V.21. *Thesaurum aliquem)* al. *aliq; thesaurum.* f. *aliquando thesaurum.* V.31. *Soluisti)* f. *lusisti.*

P.47. v.8. *Præsto est arbiter)* Alludit ad *arbitros* qui diuidendis bonis inter coheredes dabantur, qui alias *arbitri familiæ erciscundæ*, alias *arbitri diuidendæ hæreditatis*, alias *arbitri diuidendis bonis*, alias *arbitri diuisionis* a ICtis appellantur. V.14. *Inter manus)* f. addendum, *tuas.* V. 15. *Nusquam hodie pedem)* Sic sup. idque ex Terentio. V.17. *Inquit)* f. *inquam* legendum. v.c. deleuit τὸ *inquit.* Ibid. *Restitues)* v. c. rectius habet *restitue q.a.* V. 26. *Qua præceptum est)* v.c. *quia.* V.28. *Præscriptionem hanc)* id est, παραγραφὴν, *exceptionem.* vide Charis. lib.2. Instit. Grammat.

P.48. v.1. *O tempora)* Cic. in Catilinã. & Martialis, *Dixerat, ô mores, ô tempora, Tullius olim, Infandũ strueret cũ Catilina nefas.* V.3. *Omnesq; per Deos)* v.c. addit, *iuro.* V. 4. *Ipsumq;)* τὸ *que* abest a v. c. V.18. *Hinc)* v.c. *huic.* f. *huc.* V. 22. *Gratiam)* v.c. *gratias.* V.28. *Compilasti)* vt sup. *expilasti.*

P. 49, v. 3, *Prætor sedeat)* *Sedere* proprium iudicum & Prætorum & arbitrorum etiam apud Poetas. Propertius lib. 3, *Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci.* Idem lib. 4, *Aut si quis posita iudex sedet Æacus vrna.* Sic Cicero pro Rab. Postumo, *Modo vos iidem in A. Gabinium iudices sedistis.* Apuleius Apologia 1. *Quod si modo iudices de causa ista sederent C. Fabricius, Cn. Scipio, &c.* Achilles Bocchius Symbolo 53.

Olim Pellæus iuuenis cum forte sederet
Iudex, & actori alteram
Interea digito prudens occluderet aurem,
Interrogatus a suis,
Curnam sic faceret? Satis actori est, ait, vnam
Seruo alteram integram reo.

Cuius moris causa mihi videtur afferri posse ista, Quia iudices animo constante, sedato & bene composito esse debet. Talis autem magis esse potest, cum etiam corpus est quietum, & cum sedet. Quo & Plautus (sed ludens more suo) respexit, cum in persona serui ait: *Sedens plus nimio sapio quam stans.* in Pythagoræ quoque symbolis fuit: καθῆσθαι προσκυνοῦντας: *Adoraturi sedeant:* de quo vide Eras. Cent. 1. Quid quod etiam Philosophus ait: *Sedendo & quiescendo anima fit sapiens?* Contra apud Aristotelem in Rhetoricis cuiusdam stoliditas & rusticitas notatur, ὅτι ἅμα βαδίζων ἔλεγεν. V. 7, *Celeriter)* f. *celerites,* vt sit frequentatiuum *celerito* a *celero.* S. Vict. habet, *tu celeriter.* V. 9, *Illius defuncti)* v. c. *defuncti illius.* Ibid *Reconduntur)* f. *recondantur.* V. 18, *Auribus teneo lupum)* Ex Terentii Phormione. V. 19. *Vtrum)* f. *vtrumutrum*, id est, *vtrumcunque.* V. 20, *Dicam)* v. c. *dico.* V. 29, *Quid in aula fuisse dicis)* quidam libri, *quid in aula quid fuisse d.*

P. 50, v. 1, *Res ipsa)* τὸ *ipsa* non est in v. c. V. 4, *Ita sese)* v. c. *ita sic se.* quod non placet P. Dan. Ibid. *Hæc non processit)* sic Terent. Andria, *Hoc non successit, alia aggrediemur via.* V. 8, *Sustulisti)* v. c. *tulisti.* V. 11, *Nam si te)* *te* non est in v. c. locus mutilus videtur. V. 13, *Iam iam quæso)* v. c. *Iam quæso.* V. 19, *Rem geris)* f. *quæris* P. Daniel. V. 29, *Pœnam malo)* Hic pœna sacrilegii leuis. V. 30, *Vnde*

Vnde tantum illic erat) f. deest, *pondus.*

P.51,v.2,*Illius vrna)* v.c.*vrna illius.* V.3,*Iam iam omnia)* v.c.*Iam omnia.* V.12, *Illic)* f.*illuc.* V.14,*Qui te etiam) te,* non est in v.c. V.20.*Ille dixit)* v.c. *dilexit.* V.21,*He)* v.c. *hem.* V.23,*Te scio)* v.c.*nescio*.male. Ibid. *Permiseris)* v.c. *miseris.* V.28,*Hunc tibi reliquit)* v.c. non habet *tibi.*

P.52,v.8,*Fusiam)* v.c.*Fusiam*.sed verum est *Fusiam*.nam *Q.Fusius Calenus* tulit,non *Fusius*.Dio lib.38, *κὐϊντος φούφιος καλλῶος στρατηγῶν*.Sic & apud Cicer.legendum Prætura Vrbana:*cedo mihi leges Atinias,Furias,Fusias.* V.10,*Apud me paruum est)* v.c.*parum*,quod melius censet P.Daniel. V.12,*Iura)* v.c.*iuris.* V.17,*Nosq; praesto)* v.c. *Nos quoq;*. Ibid.*O Sycofanta)* De æstimatione litis iniuriarum. Ibid. *Tris edaces domus vna non capit)* Similia sunt fere hæc vulgaria & omnibus nota:*μία λόχμη ὐ τρέφἑ δύο ἐριθάκους. εἷς οἶκος ὐ δύναται τρέφειν δὺς δύο κύνας. Non capit vna duos culina ganeones.* V. 23, *Vt aspergas)* sic sup. & Cicer. pro Cluentio. V.26,*Digna causa)* v.c. præponit *Oi.* V.30, *Solidi illius)* f.*vnius*.Notandus hic locus de æstimatione litis iniuriarum. V.31,*Si & tumor)* prius *&*,non est in v.c.

P.55,v.2,*Aposia)* leg.*apozia*,id est, *apozematos.* verba autem *(hoc est, excoctionis)* ex glossa in contextum inducta esse videntur. V.3, *Contemplationis)* f.*contemplatione.* V. 4, *Infixis)* v.c. *defixis.* Ibid. *Criminali)* v.c.*criminari.* male. V.4, *Strepitu criminali) cum strepitu* fieri dicuntur a ICtis, quæ fiunt cum forma & figura iudicii (vt vulgo loquuntur) non de plano neque simpliciter.c.sæpe contingit. De verb. sign. c. dispendiosam. De Iudiciis in Clemen. Gregor.lib.2.Ep.7.l.2. C.Th.lib.9. ad Corn. De falsis. *Criminalia* porro *iudicia* hic non vt sup.*capitalia* dicit,sed iam *pecuniaria* finguntur.aliud est enim *lædere*;aliud *occidere.* V.7,*In loxu)* v.c. *luxu* Sunt autem *luxa* Festo, Isidoro & Nonio *membra e suis locis vulsa & mota.* Hinc *luxatus.* Nunc autem etiam *luxari* dicimus ignari Lat.ling. V.9, *Iniuriarum commodum)* Ita vocat *iniuriarum præmium:* vt quod quis more illiberali pro vulnere adsequitur:quale aliquid fortasse taxatur in edicto ædilitio,& de iis qui deiecerunt,&c. V.10,*Placuit)* v.c.*complacuit.* V.16,*Plus petiti*



periculo) Alludit ad vulgarem formulã *Qui plus petit, causa cadit.* Ibid. *Rex conuiuii)* Thaliarchus seu symposiarchus æstimator & disceptator iniuriarum hic est. V. 21, *Hæredibus eius paterni lab.)* Actio iniuriarum non transit ad hæredem, nisi post litem contestatam. vide §. 1. Instit. De perp. & temp. act. V. 25, *Qui causam mortis non red.)* Qui cædis, cuius auctor est, crimen non purgarit, ἄθαπτος ἀποβαλλέσθω: quæ apud Horatium & Platon. *summa pœna.* vide Quintil. decl. 3. & 337. V. 27, *Inter hominum)* f. *inter se,* vel *interea, interim, interdum.* V. 29, *Si a patrono)* Libertus non potest agere in patronum actione iniuriarum, sed tantum libera est illi fugiendi facultas.

IN LVCVBRATIONES
CONRADI RITTERSHVSII IC.

ILlustrare libros vetustiorum
Auctorum liquidis notis
Vt prodest, ita non pote improbari
Doctis id studii viris.
Talem nunc terit vtili labore
RITTERSHVSIVS *aream,*
Poëtas modò in vtriusq; lingua
Campis vberibus iuuans,
Nunc & Philosophosq; Rhetorasq;:
Nec raro Latii quod est
Iuris, in medio mari natantes
Exercens alacerrimè.
Macte ô macte age diligentioris
Exemplo illice sæculi,
CONRADE *optime. Dum nouas recenti*
Antiquos iuuenis stylo,
Senex inueterate post Mineruæ,
Antiquum indueris stylum.
Sic quanto meliora & æquiora
Tu tractaueris arduus,

Tanto

Tanto praeq; nouis probatiora,
Et priscis potiora sint.

PAVLVS MELISSVS FRANCVS,
Comes Palat. & Eq. Ciuis Rom.



I. GRVTERVS C. RITTERSHVSIO IC. SALVTEM MVTVAM.

ET ego quidem voluissem & alii mecum, vir doctiss. discrimen quoddam fuisset Notarum tuarum & Petri Danielis; scire autem facile potes, quare. sed enim cum edito destituaris libro, neque sit eius exemplar in procliui, quo scilicet hasce ab illis, proprias ab alienis internosceres; amo te & laudo, mi Rittershusi, quod maximam earum partem, quamuis tui ingenii, tuæ curæ, libens tamen alteri illi viro, multæ antiquitatis perito, & de omnibus literis dudum bene merito, transcripseris; ne vel sic quid imprudens *in armum tolleres* quod haud tuum: laudo, inquam, amoque hanc modestiam, hanc ingenuitatem. nam vt sunt hodie hominum mores, longe aliter fieri solet; & quicumque postremus recensioni libri alicuius *satageam* admouit *manum*, is ocius item omnia aliorum bene dicta, bene cogitata, *vna cum puluisculo* abstulit, & sua fecit; eo nimirum iure quo;

Quicquid conspicuum pulcrumq; est aequore toto,
Res fisci est, vbicumq; natat.

aliquanto sane facilius quam Coccyx; qui si vult esse quod pulli sui absumant; etsi nullum formet nidum, oua tamen pariat, aliisq; auium nidis subiiciat necesse est. Sed valeant *Harpaces* isti, nisi si verius sunt *Summani*; & videsis potius hæc nostra propere nuper præcipitata, dum nacti recenter codicem illum Camerarianum, iter nobis sternebamus ad Plauti theatrum; atque ideo Querolum ipsum curiosius conferebamus cum vulgato. Vt nihil inde tibi boni; at

agnosce ex iis velut in speculo & diligentiam tuam & solertiam, quæ de vbere messe vix has mihi reliquit qua variarum lectionum, qua explicationum spicas. quod vt forte adhuc leuius sit, en tibi isthæc etiam obligatoriæ instar tabulæ, qua profitear multum me tibi debere ob nuperum munus. Caue enim putes ideo minus acceptum, quod cum tam male ominato nomine tunc potissimum ad me affectaret iter cum vicinissimus illi essem *fulmini*, de quo, attonitus adhuc hiantiq; vulnere saucius, nondum queri sustineo. quin imo, hoc ipso gratior mihi cariorque iste Querolus, tanquam qui *nouerit diuinitus*; tuncque adeo mihi metum acuere debuisset in pectore nihil sperante luctuosius, fatiq; nouercalis præmonere, vel nudo nomine. Verũ quid ego *vnguem in vlcere?* finiam melius est, teq; carũ caput cum collegis lectissimis, amicis itẽ certissimis, D. Wesenbecio, D. Gentili auere atque valere iubeam. atq; heus! si quando Noribergam; insusurres viris summis D. Ioachimo, D. Philippo, Camerariis, frustra esse quod hoc anno suum sibi sperent reducem Plautum, si & eius vsum mihi esse volunt, vt volunt, vtibilem. Cum enim *fas non sit, læta officia obire lugentes*, quid est quod ego Plautinam frequentem scenam?

IANI GRVTERI NOTÆ IN QVEROLVM TRALATITIAE.

Pag. 1. vers. 2. *Rutili*) & ego fere *Rutilium* istum habuerim pro eo cuius extat Hodœporicum carmen ad Venerium Ruffum, nisi vix fieret verisimile virum oppido doctum, fouisse suo suorumve contubernio hominem *generis Pantherini*, & in quem vnice competat illud Caligulæ Imperatoris:

Ei neq; boni quicquam, neq; mali feceris.

totus enim si occurrat, nemo certe dignetur domo, sermone, vultu, adeo est *stultior barbaro Potitio*: sin forte huius illiusve membri gratiæ adiiciatur oculus, *sapere nimio censeas plus quam Thalem.* V. 10. *Illa rerum*) id est negotiorum,

rum, vel adeo litium, iuxta Ausonianum; *Imperium litem, Venerem, cur vna notat Res?* V.25. *Odoribus insuper infusis)* mallem cum vet. cod. Camerarii, *odor. super infusis*; nisi isthæc non tam putarem referenda ad odores quibus sepulcra ac monumenta olim perfundebantur, quam eos qui Cineres ipsius defuncti rigarent, condendos iam, vel adeo conditos in vrnam: nisi si velimus cadauer istud siccatum Chaldæorum more, de quo strictim Papinius lib. 5. Syluarum ad Abascantium; aliique passim qui meminerunt funeris Alexandri Magni.

P. 2. v. 4. *Oblitus doli)* liber Camer. *dolo*, nec damnauerim; etsi tamen frequentius Plautus & alii, *dolis*; quomodo & hic fuisse potuit, sed mutarunt ii, quibus *oblitus* fuerat secunda syllaba longior. V.10. *Domum purificat & puram facit)* argute. non solum, inquit, lustrauit expiauitq; domum, hoc enim est *purificauit*. sed & aliter purificauit, id est *puram fecit* ac vacuam, ablatione thesauri illius. sic dicitur Iurisconsultis *pura area*, quæ ab ædificio libera. V.15. *Protulit)* quid si, *proculit*, legamus?

P.3. V.9. *Poeticus regat)* tollatur typographi mendum rescribendo, *rogat*. V. 25. *Propriam sibimet causam)* de ea re alibi Cicero; nec minus recte Saluianus lib.1. de gubern. Dei: *Si in se esse nouit quæ loquor, non a mea sibi hoc lingua dici æstimet, sed a conscientia sua.* item lib. 4. *Nullus irasci omnino debet qui nequaquam se talem esse recognoscit: ne hoc ipso quod irascitur, de cœtu ipsorum esse videatur.* sed hæc erunt alterius loci.

P. 4. V. 7. *Prodire autem ad agendum)* sub manu nascebatur Ocello poetarum Paulo Melisso, fabulanti apud me, *prod. autem ad agona*: quod cur non probem, cum sciam, Romæ fuisse Oratorum ac Poetarum *commissiones*, a Neronis inde atque Domitiani æuo? V. 9. *Si quid grauius mitigo)* his similia habet Apuleius meus libro de Deo Socratis: *mala auerruncare, bona prosperare, &c.* V.14. *Reddendum nobis)* præcedentia suadent rescribatur, *a nobis*, nisi si melius tamen, *redd. bonis*; quod puto. V.31. *Fidei malæ)* nihil mutauerim: *mala* enim *fides*, hic optime conuenit, vt ostendatur, etiam rei prodesse, quod alioqui maxime ei

nociturum erat, vbi Deo quidem ita visum.

P.5. v.5. *Partem contentus fuit*) sensus vrget restituatur, *parte incontentus fuit*. V.20. *Hui, quam grauiter dolet, vt sunt humana: credo. quia, &c.*) interpunctio vitiosa sententiam iugulat. tentabam, *Hui, quam grauiter dolet! vt sunt humana, credo quia nihil, &c.* dolet quidem, inquit, sed aut hominum me fallunt mores, non tam dolet mortem patris, quam quod nihil ei ex morte ipsius obuenit lucri. ita fieri, scitur satis: & succinit Martialis lib.6. Epig.63.

Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
Si cupis vt ploret, des, Mariane, nihil.

nec aliud vult Epigr.70. lib.4.

Nihil Ammiano præter aridam restim
Moriens reliquit vltimis pater ceris.
Fieri putet potuisse quis, Maronille,
Vt Ammianus mortuum patrem nollet?

V.23. *Armigerum hinc tridentem*) legendum plane *hamigerum*; vtiq; cum & extet in ms. illo nostro *amigerum*. nam tridens iste captandis piscibus aut potius figendis aptior, si hamatus. & alioqui in nummis passim videre est Neptunum cum *fuscina hamata*. vnde & Martialis lib. de Spectacul. Epigram.26. *fuscina dente minax*. Ambrosius etiam ad Tobiam cap.7. *quasi piscis qui fuscina fuerit infixus, quocumq; fugerit, vulnus vehit*. videatur idem lib.5. Hexaem. cap.5.

P.6. v.14. *Iam istud ad vim pertinet*) sic & Cæsar Iulius apud Suetonium cap. 82. *Ista quidem vis est.* Ibid. *Age dic quid vis*) repono fide cod. Camerar. *Age, quicquid vis.* quoniam, inquit, video necesse, vt tibi obtemperem, tanquam qui cogas; fiat quod libet. simile fere Plautus Asinar. Sc. *Cur me retentas: Quid vis? egestas imperat. fricentur.* deleuerim interrogandi notam, scripserimque unite, *Quid vis egestas imperat.* vide libellum Suspicion. mearum 4.c.6.

P.7.v.7. *Attat vero similem, &c.*) interpunctio & lectio perpera. scribe cum Rittershusio, mecum autem distingue: *Attat; verosimile est hunc, nescio quem de aliquibus vel geniis vel ministeriis.*

P.8.v.3. *Etiam quæritas, quid mihimet ipsi videar, cum de scele-*

scelestis conquerar?) hinc Cicero 5. in Verrem: *Omnia quæ vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt, &c.* vide locum. nam alioqui aliter fieri solet. de quo adeatur Plinius lib. 8. Epist. 22. principio: nec non Saluianus lib. 3. de gub. Dei: *In aliis horrent quod in se semper admittunt, &c.* quare eleganter Aurel. Victor de Augusto: *Cumq; esset luxuriæ seruiens, erat tamen eiusdem vitii seuerissimus vltor; more hominum qui in vlciscendis vitiis quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt.* vbi lubens expunxerim voculam *vitii*, vt subaudiretur, *luxuriæ*. V. 11. *Nullumne, &c.)* bene vrget & efficaciter. vt enim loquitur Saluianus lib. 3. de gubernat. *Hoc ad crimina nostra addimus, vt cum in omnibus rei simus, etiam bonos & sanctos esse credamus, ac sic in nobis cumulentur iniquitatis infensa, &c.* V. 18. *Nunquam admisisse)* videtur sumptum a Saluiano lib. 3. *Sed cogitat forte aliquis de hoc numero; Ego iam ista non facio. Laudo si non facis: sed tamen forte ante fecisti: & non est, nunquam omnino fecisse, facere cessare.* V. 17. *Quæ laudari solent)* putat forte ea quæ clam patri abstulit & amoribus impendit; quæ in laude passim, certe non admodum in vitio, apud Comicos. V. 24. *Hoc est quod nec permitti, nec prohiberi potest)* simile de Mathematicis Tacitus lib. 1. Hist. *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax; quod in ciuitate nostra & vetabitur semper & retinebitur.*

P. 9. V. 10. *Millies peieraueris)* Saluian. lib. 3. *Plures inuenias qui sæpius peierent quam qui omnino non iurent.* & lib. 4 idem: *Si peieret Francus, quid noui faceret? qui periurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis.* V. 21. *Fieri hoc solet)* libens personas immiserim: QVER. *Fieri hoc solet.* LAR. *Quanto mallem, &c.* V. 26. *Omnia igitur peregisti)* Placet quod est in ms. nostro a manu secunda, *peregi*; vt videlicet omnia potius fateatur, quam vt amplius a Lare obtundi velit atque illaqueari. V. 29. *Contra meritum miserum)* quod & eleganter tractat Saluianus libris illis aureis de gubern. Dei, concluditque demum lib. 4. *Quamlibet aspera & aduersa patimur; minora patimur quam meremur.*

P. 10. V. 9. *Quidnam hoc mirum, si qui te nouit, despicit?)* eiusdem pene sententiæ Martialis lib. 1. Epigr. 113. *Cum te*

non nossem, dominum regemque vocabam, &c. V. 26. *Ferre non patiens parem)* scio quid velit ista lectio; veniebat tamen in mentem; *fere non, &c.* vt dicat neminem propemodum esse hominum qui sui similem ferat, hoc est, alterum quem qui item homo sit. nam alioqui *par* idem fuerit quod *aqualis*, de quo statim sequitur. V. 29. *Dic quaeso quid, &c.)* nox mihi in istis, neque mutuo mihi lumen. suspicor tantum interiici posse personas hac forma: QVER. *Dic quaeso quid placeat ergo?* LAR. *Secundum, &c.* V. 30. *Compara comessationes)* amicus quidam meus diuinabat, *Cum pare commessationes, &c.* V. 31. *Tibi obligere)* ms. Camer. *tibimet obligere:* quae enclitica huic frequens.

P. 11. v. 1. *Quanto leuius nectito)* puto respicere ad illud, *Leuia beneficia amicos, grauia inimicos pariunt.* vnde Florus libro 4. cap. 2. de conspiratis: *grauisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia.* similis gnome in Tacito alibi. V. 13. *Neque cuiquam vt aliquem dicat pauperem)* latet hic vlcus. ms. noster antea habuerat, *aut* pro *vt*; sed erasa est postea litera princeps. V. 27. *Nonne hoc iustum fuit, bustum vt efferret filius)* quae ad hunc mortalitatis ordinem pertinent, plura congessi libro 4. capite 1. Suspicion. quibus & consentaneum istud Quintiliani Declam. 1. *Inter felices alius est ordo votorum. Caecus filius optat superstitem patrem.*

P. 12. v. 24. *Ex voto meo tuere)* vox *tuere* non fuit initio in ms. Camer. adiecta demum est ab extranea manu. V. 31. *Vis iam nunc facimus vt, &c.)* non abhorret a vero, fuisse, *facinus:* nam & sequitur mox: *sed hoc egomet tibi tantum indicabo.*

P. 13. v. 11. *Rursum ad ingenium redis, &c.)* & hic suae desunt, puto, personae. QVER. *Rursum ad ingenium redis.* LAR. *Sed, &c.* V. 22. *Quare alii melius)* ms. noster *aliis*, item deinde statim pro, *Iam hoc ad inuidiam seruat, Iam istud ad inuid.* V. 24. *Nam sum deterior inferioribus)* nescio an fuerit, *inferior deterioribus*; vt ideo se dicat recte inuidere Querolus quod ei praeponantur & sint in re meliori, qui tamen ipso inquinatiores vitiis.

P.14. v.2. *Placeat optio*) in mſ. emendatum eſt a manu ſecunda, *Placet optio*, quod & placet. V.6. *Ferrum excipere*) id eſt non refugere vulnera in periculis. nec enim confundi debet cum illo gladiatorum, *Recipere ferrum*. qui ferrum recipit, funus fit: quod ſecus eſt de eis qui excipiunt: tegunt enim ſe vt poſſunt; ſæpiusque viuunt. Cicer. de Prouinc. Coſſ. *Amor me, cum omnia tela vndiq; eſſe intenta in patriam viderem, ſubire coegit atq; excipere vnum pro vniuerſis.* V.26. *Quis vos dixit liberas?*) mſ. *quid dixit lib.* fueratque prius, *dixet*.

P.15. v.11. *In ſoccis hiemes, cancros in tubulis age*) amicus idem meus fingebat, *in ſoccis hieme: Cancro in tubulis age*. *Cancro*, i.e. cum Sol in cancro eſt, cum maxime calet. vt *tubuli* ſint neſcio quæ pedum crurumque tegmina, velitque idem quod ſupra; *ſume igitur tegmina hieme trunca, & æſtate duplicia.* V.19. *Niſi quod efferre, &c.*) cum abſit Cam. c. ſcripto pronomen *quod*, legerim, *niſi efferre iſtos melius eſſet quam lædere.* V. 28. *Fumus vt lautum pares. Heroes autem Deus ord. &c.*) lego omnino cum mſ. noſtro, *funus vt lautum pares. Heredes autem Deus ord.* vult enim idem q^d^ Seneca lib. De breuit. vitæ cap. XIX. *Quoſdam cum in ſummum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes, ætas reliquit. Quoſdam cum in conſummationem dignitatis per mille indignitates erepſiſſent, miſera ſubiit cogitatio, ipſos laboraſſe in titulum ſepulcri, &c.* V.31 *Heia*) mſ. *Hei*.

P.16. v.12. *Sed cum pondere Neſtoris*) de Neſtoris hac hernia, alibi quoque, ſi bene memini, Martialis.

P.17. v.5. *Ineſſe felicem*) ita & mſ. Sed an forte ex compēdio ſcripturę lectio iſthæc nata, & fuit, *neminem felicem*. V.10. *Etiam hinc reſponde*) mſ. *huic*, ſubaudi. *quæſtioni*, aut ſimile quid. V.22. *Numquid rex*) malim, *num quis rex*: ſed ita tamen ſi concedatur Comœdiam iſtam Theodoſiano natam æuo, quod vereor vt cuiquam ſatis probem. V.29. *Et quidem ſum, &c.*) reponatur lectio codicis calamo exarati; *Et quemadmodum ſum hab &c.*

P.18. v.15. *Pro me faciam neſciens*) mſ. *neſcius*. V. 24. *Non mihi præſtatur, quod velim nolim faciundū eſt*) mutari poſſet vox vltima in *patiundū*; ſed haud forte etiā neceſſario.

De gnoma tamen hac abunde IC. nec abit Plautus Sc. *Sta illico*, Trinummo: *Nullum beneficium duco esse id quod cui facias non placet*. nec Seneca lib. 2. cap. 19. de Benef. *Si vis scire an velim, effice vt possim nolle*.

P.19. v.1. *Quid ergo nunc faciam?*) ms. *ego*. V.2. *Cuiusquamne oraculum*) arrideret magis, *Cuiquamne*, nisi si fuit, *Cui vsquam orac*. V.19. *Interdictum fuerat ne obuiarem, &c.* non puto quemquam mortalium isthæc intelligere tali distinctione. scripserim: *Interdictum fuerat ne obuiarem furibus. Verum ne excluderem, hercle hoc stultum est, &c.* secum loquitur Querolus, & peccaui, inquit, in mandatarium meum; iussit namque Lar ne ego me furibus opponerem, quod modo feci, dum clamore meo istũ absterrui ne fibulam auferret. Sed enim, subiicit, quod idem iussit Lar, ne excluderem ædibus meis fures, hoc stultum sane nimis est. fefellit omnes vox *obuiare*, quod idem cum obstrigillare, opponere se, & contraire. Ambrosius Epist. 32. in Auxentium. *Quis erit ille qui cum legat per tot prouincias vno momento esse mandatum, vt quicumq; obuiauerit Imperatori, feriatur gladio, &c.* idem cap. 29. lib. 2. offic. *Honorati quoque & intercessores dati non posse præceptis Imperatoris obuiari ferebant*.

P.20. v. 8. *Cedant iuris conditores*) non eos hic intelligit quos vulgo vocamus *Iurisconsultos*, sed veros *coquos*, qui carnes pisces herbas condita in patinis proferunt, quod satis ostendunt seqq. Frequenter tamen Plautus ambigua hac significatione ludere solet, & transferre ad peritos legum. vti & Pœnulo Sc. Iam tenes: *Hodie iuris coctiores non sunt qui lites creant, &c.* sed hic inalienum est. V.21. *Ha istud non placet*) an respexit ad ea quæ de *Numismatis* habet Artemidorus lib.2.cap.63? an potius ad formam effigiemve *solidis* impressam? certe vltimum fere volunt sequentia: *Erant præterea vncinuli hamati, torques & catenulæ, &c.* quasi ea ipsa præsagirent flagra & vincula. quod si admittimus, reuocanda est lectio antiqua ms. v. 23. *alia insuper*, eiecto, *aliqua*; vt innuat adeo certo signari his ipsis rebus malum cruciatum, quam quibus maxime. V.23. *Torques & catenulæ, &c.*) vnde Æthiopes Macrobii apud Herodo-

rodotum lib.3. vt monile & armillas regi eorum miserat Cambyses; respondent, *robustiora vincula apud se esse*, quam quæ misisset Cyri ille filius. & Ambrosius lib. de Nabuthe cap. 5. *Delectantur & compedibus mulieres, dummodo auro ligentur: non putant onera esse, si pretiosa sint: non putant vincula esse, si in his thesauri coruscent.* V.31. *Deflebamus defunctum illum, quasi alienum tamen*) huc facit etiam quod est infra pag.40.v.12. *nunquam ego fleui meum, nunc plango alienum.* at id præposterum esse omnia docent. videatur Ælianus Variæ historiæ lib.6. cap.1. hinc & Statius: *& non sua funera plorant.*

P.21.v.3. *Funus ad lætitiam*) anus apud Apuleium lib.4. Metamorph. *Nam præter quod diurnæ quietis imagines falsæ perhibentur, tum etiam nocturnæ visiones contrarios euentus nonnunquam pronuntiant. Deniq; flere & vapulare, & nonnunquam iugulari, lucrosum prosperumq; prouentum nuntiant: contra ridere & mellitis dulciolis ventrem saginare, vel in voluptatem Veneream conuenire, tristitiæ animi, languore corporis, damnisq; ceteris vel exatum iri prædicant*; vbi scripserim pro *vel exatum, vellicatum.* V.25. *Inermes regulæ*) non igitur erant cancelli, aut ligna illa quę reticulato textu fenestris immittuntur, sed tale quid quale habemus etiam hodie, columnulæ scilicet aut pilæ, e quibus vtrinque vnci prodeunt si nimium distent regulæ, quod ibi non fuit.

P.22.v.23. *Mathematicosq; noui*) ms. *math. vidi.*

P.23.v.12. *Maxime ergo, Sycophanta, &c.*) interpunxerim, *Maxime. ergo Sycoph. &c.* vt priore verbo respondeat Querulo, aliis vero Sycophantam compellet. V. 23. *Per te tuosq; misodes*) ms. noster *Misides*: an forte, *tuasq; Mysides*, vt eum obtestetur per amores suos. Sed aliud quid latet.

P.24.v.6. *Hoc scio*) ms. *hoc nescio*, quod non improbo, vt respiciat ad quæsita Queroli; dicatque scire se quidem quo nomine sit diuinus ille, cuius vero sit regionis, non item. V.7. *Iam hoc de magis existimo*) amicus ille meus qui supra hariolabatur, *iam hoc te magis æstimo*, tanquam si vellet Querolus, se maioris facere vatem illum, ob pulchrum nomen. V.9. *Magum hercle hominem*) ms. *Magnum.* V.16.

Ferulas non habet, neq; cum turbis ambulat) nescio an hisce talem aliquem describat agyrtam qualis apud Apuleium lib. 2. Metamorph. *Nam & Corinthi nunc apud nos passim Chaldaeus quidam hospes miris totam ciuitatem responsis turbulentat, & arcana fatorum stipibus emerendis edicit in vulgum: qui dies copulam nuptialem adfirmet, qui fundamenta mœnium perpetuet; qui negotiatori commodus; qui viatori celebris; qui nauigiis opportunus, &c.* V.21. *Placeat vt ego)* ita antea etiam ms. noster, sed mutatum deinde in *placet*.

P.25.v.10. *Disceptatione opus est)* ms. *disceptione*.

P.26.v.8. *Sed quod, &c.)* immittit personas scriptus liber SARD. *Sed quot gradibus & transfusionibus?* MANDR. *Aliud, &c.* V.20. *Et quisnam)* ms. vnita voce, *Etquisnam*, vt forte voluerit, *Ecquisnam*. V.21. *Tam varia sidera)* ms. *tā vaga sid.* V.27. *Alui des)* ms. ὑφὲν, *aluides*. quid hoc verbi sit nescio, neq; admodum scire cupio, adeo piget pudetq; nugarū quas hic insulsissime blacterat Mandrog. nec ad rem, nec ad vllā historiam, quam ego quidē legerim. forte huius q d inuenire esset in Salisberiensi: sed eum nondū cōtigit videre.

P.28.v.9. *Facilius additur quam prole cognitur)* ms. *facilius acbutur quam prolem cogn.* priusque fuerat, *facilisus*. V.19. *Quos corymbos)* nec hoc intelligo. an forte a figura & modo sannarum? at nihil simile Persius Sat. 1.

O Iane a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec lingua quantum sitiat canis Appula, tanta.

V.29. *Nam si insuper nuces & sorba dederis, omnem pupillum ceperis)* suspicari licet isthęc aliunde trāslata, ex veteri forte scriptore quē non intellexit iste noster. sane quid hic faciāt, mecum non exputo. at *nuces*, at *sorba* mollibus conuenire hoc noui. de *nucibus* satis clarum est. de *sorbis* Martialis:

Sorba sumus molles nimium sistentia ventres,
Aptius hæc puero, quam tibi, poma dabis. videat me, cui tanti est, lib. 2. c. 4. Suspic.

P.29.v.1. *Ista prodigia alere quam nosse malo)* ms. *valere*, quod reduxerim: nam & ea iubemus *valere*, quæ displicent, quæ abiiciuntur, hocq; voluit Martialis lib. IX. Epigr. VIII.

Dicere de Libycis reduci tibi gentibus Afer,

Con-

Continuis volui quinq; diebus, aue:
Non vacat, aut dormit dictum bis terq; reuerso:
Iam satis est, non vis, Afer, auere, vale. idem lib. I. Epigrammate 67.
Sæpe salutatus nunquam prior ipse salutas:
Sic erit æternum, Pontiliane, vale.

V. 31. *Mentiri mihi non licet)* abest ms. particula negatiua.

P. 31. v. 14. *Religio tecum omnes exclusit foras)* restituendum auctoritate libri scripti, *excludit:* narratur enim futura. V. 27. *Et arbitrum)* scribatur litera maiori, *& Arbitrū,* est enim viri nomen, sicq; iterū atq; iterū pingi debet infra. V. 30. *Et cauponibus tete hodie colloca)* amicus noster malebat, *hodie loca;* vti loquitur Plaut. Rudente Sc. Qui homo:
Quid si aliquo ad ludos me pro manduco locem? si non, vti item scribatur *collocantur* sup. p. 27. v. 20. ibidem enim etiam aperte ms. Camer. *cibaria publice collocantur,* non vti editur, *locantur.*

P. 32. v. 8. *Omnia sunt peracta)* imo vero, *oīa sunt parata.*

P. 33. v. 10. *Et tum, litem intendit)* ms. *& tum licet tendit.* V. 17. *Irarum causas quæritat)* ms. *irarum quærit,* exclusa dictione *causas.* V. 18. *Quicquid liber)* prius membrum vocis *quicquid* deletū est a secunda manu in membranis. V. 23. *Illud autem quale est)* vocabulū *quale* nō comparet in cod. calamo exarato. V. 27. *Calidam fumosam)* id esset aqua cui se illatebrauit immiscuitque fumus qui e lignis oritur; ita quidem vt fumū eadem saperet aqua. sed enim cum sequatur, *calices vnguentatos,* extetque ad oram ms. nostri, etiam pro *calidam,* legi, *patenam,* fere reposuerim, *patinam;* nisi si quæ alia vox fuit quæ idem notarit. nam non putarim sane poetastri huius æuo in vsu adhuc fuisse *aquam calidam,* qualis meminit Plautus aliique, h.e. quæ in delitiis. sed de eo viderint alii: nec enim auctor iste tanti: etsi forte potuit hæc descripsisse ex auctore sese antiquiore: quod verius puto: ita nihilominus, vt nusquam magis quam heic locum habeat Horatianum illud; *Humano capiti.*

P. 34. v. 6. *Adulterium dici hoc potest)* exulat pronomen, *hoc,* ms. Cam. V. 7. *Vetere castrata succo) succo castrari* vina ait Plin. li. 19. c. 4. explicatq; idipsum dilucide Plutarch.

lib.6. quæst.7. Symposiac. at vt *castrare succo*, pro priuare aut adeo viduare poni possit, vix puto; certe non memini alibi legere. V.17. *Quid tam simile quam solidus solido? &c.*) hæc & sequentia producit & interpretatur Cuiacius lib. 10. Obseruat. cap.14. item alibi in Variis Ræuardus noster. V.22. *Sed mali perdunt bonos)* ms. non male; *sed & mali, &c.* V.25. *Inuerso hercle modio, &c.*) habent ista prouerbii speciem non illepidam. V.29. *Malo meum. Adhuc ille noster)* amicus ille meus, distinguendum putabat, *malo meum adhuc. Ille noster.*

P.35.v.13. *Vniuerso hoc triduo domi clausus)* callide nimis, vti nimirum ipsi interea fures quovis abirent gentium; neque eos persequi posset, si forte furtum nescio quo casu comperisset Querolus. V.18. *Inter nos Zelotypi non sumus)* non abeunt ab his Plautina Sticho Sc. Agite, ite:

Hæc facetia'st, amare inter se, riuales duos:
Vno canthqro potare, & vnum scortum ducere.
Hoc memorabile est: ego tu sum, tu es ego: vnanimi sumus:
Vnam amicā amamus ambo. mecū vbi est, tecum est tamē.
Tecum autem vbi est, mecum autem ibi est, neuter alteri inuidet, &c.

V.19. *Fraudem tamen nemo patitur)* subtilioris paulo argutiæ est quod habemus apud Petronium in Satyrico: *Iupiter peccaturus in terris, nemini tamen iniuriam facit.* V.29. *Tu aut tributum cogites)* ms. *autem.* sed & prius habuerat, *cogitas*, quod non displicet; vt videlicet Querolus iste fingatur sollicitus super solutione tributi, de quo & Plautus Epidici sc. St. tacete:

At tributus quum imperatus est, potesse pendi negant.
Illis quibus tributus maior penditur, pendi potest.

V.31. *Propter hoc quidam)* ms. excluditur dictio, *propter:* dicerem iure, si Comœdus noster ætatis serioris.

P.37.v.6. *Lustrum istud in fluuios dabunt)* apposite satis: nam mari fluuiisque committebant quicquid pollutum & piaculare. V.8. *Mala hac fortuna)* dictio *mala* non habetur in ms. & facile subaudiatur. V.10. *Et perpetua via)* acute dictum; & Victorianis illis quæ allegat Rittershusius noster, addatur alterum istud Ciceronis ex Sestiana: *Quibus vtinam euenissent ea quæ homines precabantur.* agit enim & ibi

ibi de Pisone & Gabinio, qui paludati cum malis exierant ominibus. nec aliud fere vult Martialis lib. XII. Epigr. LVI.

Ægrotas vno decies aut sæpius anno,
Nec tibi, sed nobis hoc Polycarme nocet.
Nam quoties surgis, soteria poscis amicos.
Sit pudor: ægrota iam Polycarme semel. vbi erascrim libenter literam, *Si pudor*, quomodo alibi idem;
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

V. 11. *Triduo ergo istuc periculum*) mſ. *istoc*, vt coniungatur *triduo*, non *periculo*. V. 16. *Ipsamq; bonam Fortunam*) mſ. abest particula, *que*, neque requiritur. ad sententiam quod attinet, est a Plauti Aulularia:

Profecto in ædis meas me absente neminem
Volo intromitti. atq; etiam hoc prædico tibi:
Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris.

P. 38. v. 9. *Nisi aurum inspexero*) ita & correctum in mſ. prius tamen fuerat, *intellexero*.

P. 39. v. 6. *Naturale est odisse Dominos semper sine discrimine*) vnde supra Pantomalus iste; *Omnes quidem dominos malos esse constat, & manifestissimum est.* inde & manauit prouerbium, *Quot serui, tot hostes.* V. 13. *Quidnam est hoc quod fores, &c.*) cum absit mſ. dictio, *quod*, interpunxerim, *Quidnam est hoc? fores clausas video.* V. 28. *Cucullorum tegmina*) aut intelligit ipsos cucullos; aut, quod veniebat in mentem amico illi meo, monachorum vestem, quos *Cucullorum* sugillat nomine.

P. 40. v. 15. *Exheredasti nos Thesaure*) elegantius Martialis lib. III. Epig. X.

Constituit, Philomuse, pater tibi millia bina
Menstrua, perq; omnes præstitit illa dies:
Luxuriam premeret cum crastina semper egestas,
Et vitiis essent danda diurna tuis.
Idem te moriens heredem ex asse reliquit.
Exheredauit te Philomuse pater.

V. 16. *Quonam redituri sumus, &c.*) mſ. *quoniam*. forte, *quo iam*. V. 20. *Hæc iam non calet*) sumptum a Terentio: *Nimirum hice homines frigent*: de qua phrasi nos plura Animaduersionibus in Senecam Epistola CXXII.

P. 41. v. 3. *Vsurario cuilibet fœtere hoc potest*) non absurde. nam ita est hoc genus hominum; si eis *argento os verberes*, perfacile tales *perpetiuntur ictus*, vti est apud Plautum Mostellariæ Sc. *Scelestiorem*. quapropter Vespasiano Imp. *Lucri bonus est odor ex re qualibet*, etiam e lotio: quo allusisse Comœdiographū nostrum, assentior eruditiss. Rittershusio. V. 12. *Suras omnes conscendit*) nihili lectio. recte ms. *conscidit*. V. 15. *Et quid ego*) forte, *Hei quid ego*, vt & j. v. 17. *& fortunas meas in ipso risit exitu*, malim, *Hei fort.* etsi tamen nimis non placet. vt vt est, sententia videtur adumbrata de hisce Valerii Max. lib. 8. cap. vlt. *Quid hoc loco inhonestius? aut quid intempestiuius? Senator populi Romani curia egressus, homo vitæ fructibus continuo cariturus, sanctissima iura familiaritatis morte pressis oculis, & spiritu supremos anhelitus reddente, scurrili lusu sugillanda sibi desumpsit.* V. 28. *Credo edepol isti malam, &c.*) ms. interserit, *isti illa malam*.

P. 42. v. 2. *Fores celeriter vides*) veniebat amico meo in mentem, *violes*. V. 22. *Exhorrescit mortuum*) forte *exhorrescet*.

P. 43. v. 19. *Sed Mandrogerontem illum*) ms. *Sed Mandrogerum ante illum*, quod non displicet: displicet autem quod supra & mox infra aliquoties, *Mandrogerus* ponatur vocandi casu: factumque puto a sciolis, qui cum in scriptis exempp. longum illud nomen tribus expressum inuenissent literis, reliquas addiderunt de suo. ita sentio: etsi non ignorem habere nos j. pag. 44. v. 24. eodem casu, *Arbiter meus*: nam & ibi ms. noster interpolatus est, habetque, *meo*, cum antea videretur habuisse, *mi*.

P. 44. v. 19. *Obuiarem thesauro*) hoc est, obniterer, eique me opponerem.

P. 45. v. 12. *Aue mi Querole*) ms. *Veni Querole*. V. 16. *Iam nunc viuo*) omnino bene ms. *iam nunc si viuo*; quomodo sæpius loquitur Plautus.

P. 46. v. 7. *Mandrogerontem*) ita initio ms. sed factum statim, *Mandrogerum*. V. 17: *Commissa istæc tace*) ms. interponit, *istæc esse. tace*; quod fero; nisi, si forte an fuit, *commissa isthæc esse a te*.

P. 47. v. 1. MAND. *Dis gratias*) exemerim hinc personam Man-

Mandrogeri, vt & mox ĵ.v.4. alteram Queroli.

P.49.v.7. *Nunquam te celeriter vsq; ad sanguinem*) diuinabam; *nunquam te scelera celeriter*, vt vox prior exciderit ob similitudinem quæ ei cum voce sequenti. V.18. *Vt multis constat modis*) emendatum est in ms. *constet*. V.30. *Ego interim non proposui*) negatio non est in ms. nostro, nisi ab extranea manu intra lineas. & forte abesse potest, vt idem fere notet quod infra; *Nobis interim sufficit purgare nosmet*.

P.50. v.2. *Ergo acquiescit*) scribatur fide membranarum, *acquiescis*.

P. 51. v. 2. *Tegmen illius vrnæ non vidisti plumbeum*) non puto tale quid reliquis porro superadditum vrnis. heic fuit, quia sic expediebat fabulæ. V. 7. *Illi thesaurum*) aut legendum *thesaurus*, aut est dictio generis neutri. V. 8. *Ac si habuisset*) ms. atramento recentiori, *an si*; videbaturque prius fuisse *has habuiss*. V. 12. *Tibiq; illic*) ms. *tibi illic*. V.19. *Agnosco plane Euclionis, &c.*) suppleo locum, *Agnosco ingenium lepidissimum, agnosco plane Euclionis, &c.* ita diserte ms. Camerarii. V. 20. *Talem semper ille dixit senex*) scripserim, *tales semper ille dilexit senex*; vtique cum quis in ms. pro *dixit*, reposuerit, *dilexit*. V.23. *Abire ne permiseris*) ms. *miseris*. forte *siueris*.

P. 52. v. 7. *Ad legem Porciam Caniniam*) tollenda litera maior ab initio, exarandumque vnica dictione, *adlegem Porciam, &c.* ita suadet & ms. & sententia; vt scilicet distinguantur *capita interdictorum* a *legibus*: a *legibus*, inquam, quæ auctorum suorum præferre amant nomen; cum contra multo maxima pars *interdictorum* a primoribus incipiat verbis; *Quorum bonorum, Quorum legatorum, Quod vi aut clam, Vti possidetis, &c.* V.25. *Cum Mandrogeronte*) ms. *Mandrote*, nisi quod secta est litera *d* linea transuersa.

P.57. v.4. *Nominis esse mei*) emendo, *ipse*.

P.58. v.6. *Hoc lare bina lari sunt data altaria*) versus postulat, *Lari data sunt alt.*

P. 59. v.4. *Tanquam sim sibi, non mihi, &c.*) addiderim *met*, vt constet carmen; *Tanq. sim sibimet*.

P. 60. v.13. *Qua mentem respicit eret*) puto vocem postremam denotare, *hæret*.

P.64. v.6. *Læsa fides confert &c.*) simile voluit ille apud Martialem lib.4. Epig.21.

Nullos esse Deos, inane cælum
Affirmat Selius probatq; quod se
Factum, dum negat hæc, videt beatum.

P.68. v.15. *Iam semiclusum*) forte *semireclusum.*


P.77. v.31. *Exuitur ymago*) suspicor, *Exuiturq; mago*, id est deponitur persona magi quam hactenus gesserat Sardanapalus. Atque hæc erant quæ in transcursu nugatoribus istis imputabam, non tam eorum causa quam Plauti, cuius falso præferunt nomen. non debuissem forte: sed quid? ea mens est hominum vt nullius non tolerent paupertatem, quod sine suo liceat incommodo; cum dicat tamen Vmber noster,

De mendico male meretur, qui ei dat quod edat aut quod bibat.
Nam & illud quod dat perdit; & illi producit vitam ad miseriam.







0–/–0–








0 5 10 20 30 40 50mm
BSB Bayerische StaatsBibliothek
© 2007 digitalfoto-trainer.de
30°
60mm